DE THEOLOGIAE

PREAMBULIS ATQUE LOCIS

SELECTAE QUAEDAM NOTIONES

EX PROBATISSIMIS AUCTORIBUS EXCERPTAE

QUATUOR QUE LIBRIS

AD USUM TIRONUM ACCOMMODATAE.

LIMAE TIPIS SANCTI FERDINANDI COLLEGII.

ANNO MDCCCXI.

Verba Sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quae per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.

Ecclesiastes cap. 12. v. 11.

¿Vis Theologus aliquando fieri, ac Divinitate plenus? Mandata Dei serva, per Dei praecepta incede: actio enim gradus est ad contemplationem.

S. Gregor. Nazianz. Oration. 29.

P. P. F. X. P.

EDITIONIS RATIO.

Ex quo perdocti duo presbyteri (a) *postbabitis per aliquos dies gravibus nimium que urgentissimis rebus quibus premebantur, se totos in adolescentium gratiam dederunt ad ea excerpenda quae á magnis profectó Viris de Theologiae locis, atque praeambulis fussiori stylo pertractata sunt, plurimi jam fluxerunt anni. Huius doctrinae selectae in unum veluti corpus collectio, tametsi non undequaque perfecta, Iuvenum tamen viribus attemperata, temporis decursu, amanuensium que sive incuria, sive inscitia, quot mendis, quot mutationibus, quot interpolationibus infecta fuerit, et depravata, baud est quod dicamus. Impura baec lues in dies non amplius serpet adhibito typorum remedio. Sic Tirones exiguo sumtu, brevi tempore, certaque methodo in quatuor Librorum conspectibus, sine partium studio, adumbrata, per rectam viam ad solidas veritates Theologicas comparandas tuto pervenire poterunt. Xeniolum quidem: Fax certé peruvii pueris parva, sed quae vividum sparget lumen ad auctores principes diu noctu que adeundos, ut omnes difficultatum umbrae dissipentur.*

(a) *D. D. Thuribius Rodriguez, et D. D. Marianus Rivero in politioribus litteris, et Theologica re apprime versati.*

CONSPECTUS LIBRI PRIMI.

In quaedam capita et Propositiones tributus.

Caput primum á n. 1. ad 12.

Theologiae natura, divisiones, et necessitas. Fines Theologiae, Theologorum officia, dotesque Candidatorum illius studio incumbentium. Mutuum foedus luminis naturae, et revelati: Utriusque distinctio. Primam in Theologia sedem tenet revelatio, et huic ratio captivata subservit. Fas non est rationem cum Mahumedanis excludere. Quibusdam circunscribitur limitibus rationis usus in Theologia.

Caput secundum á n. 13. ad 19.

Revelatio et ratio sunt Theologiae fontes. Ab his profluunt loci ex quibus Theologus argumenta sumit. Theologicae veritates sub nominibus veniunt *quaestionis, propositionis*, et *conclusionis*. Quatuor genera veritatum Theologicarum sunt *fidei articuli*, *Dogmata fidei*, *propositiones catholicae*, et *doctrinae controversae*. Quod in propositionibus á Deo immediaté revelatis continetur, vel est in illis tamquam effectus in sua causa, et proprietas in sua essentia, vel tamquam pars in toto.

Caput tertium á n. 20. ad 39.

Variis perstringuntur Censuris propositiones veritatibus Theologicis oppossitae, namque vel sunt haereticae; vel haeresi proximae; vel sapientes haeresim (quae quandoque suae restitui possunt existimationi); vel erroneae in specie; vel malé sonantes; vel simplicium seductivae; vel schismaticae et sediciosae; vel blasphemae; vel impiae; vel periculosae; vel improbabiles; vel laxae: Theologi monendi ne tam liberales sint in censurandis Catholicorum doctrinis, quia nihil hac censura magis delicatum. Haec vel specifica, vel cumulativa est: Ad utramque perficiendam pluribus Theologi subsidiis egent. Qui absque ulla ratione victrice ab unanimi Scholasticorum doctrina discederet non haereticus, sed temerarius dicendus foret.

Caput quartum á n. 40. ad 41.

Methodó quá incedimus quasdam veritates aliis coaptando totius Theologici systematis corpus adumbratur.

Caput quintum á n. 42. ad 63.

Brevis Theologiae historia eius exhibens exordium, in-

crementa et vicisitudines per summa capita ab Adamo ad Moysem: á Moyse ad exitum usque Babilonicae captivitatis; á Judaeorum redditu ad Esdram usque: ab hoc usque ad Jesum Christum: á Christo usque ad secundi saeculi Patres, (quorum Theologia ad quatuor capita revocabatur): ab hoc tempore usque ad 6. saeculum: á saeculo 6. ad nonum: á 9. usque ad duodecimum, (in quo floruit Magister Sententiarum): decimo tercio saeculo scholasticus incoepit ritus diluvio quarundam subtilitatum Aristotelicarum, cui malo medicinam haud praebuit remedium ab Angelico doctore adhibitum; pessimè siquidem illo abusi fuerunt non pauci usque ad 15. Suum Theologia recuperavit splendorem, saeculo 16, quo permagni floruerunt Theologi, quos inter palmam tenet clarissimus Canus: Eodem tempore conscriptus fuit Cathechismus Romanus velut Theologiae Dogmaticae compendium. Saeculis 17, et 18. crevit pristinus illae Theologici corporis splendor, et ad nostra usque tempora propagatus, permanet. Id vero magna dignum observatione, quod Theologiae cum dignitate tractandae methodus per illos gradus consurgit, quos philosophia percurrit á tenebris ad lucem egressa. Haec philosophia Theologicae majestati deserviens non sectaria, sed ecclectica est. Ab ipso etiam saeculo 16. nunc usque jam praevaluit saniorum Theologorum pars germanam fidei et morum Theologiam colentium.

Caput sextum á n. 64. ad 73.

Theologia Dei nobis ingerens cognitionem, modum etiam illum religiosé colendi ostendit. Religionis virtus, quâ cultus Deo debitus tamquam rerum omnium principio exhibetur differt á fide, spe, et caritate; et est causa timoris reverentialis. Soli Deo debetur cultus supremus: Per hunc non tollitur pia B. V. Mariae, et Sanctorum veneratio. Interni religionis actus sunt devotio et oratio: externi vero adoratio, sacrificium, oblatio, votum, juramentum.

Caput septimum á n. 74. ad 82.

Actus oppositi religionis virtuti sunt superstitio, et irreligiositas. Sub primo vitio continentur idololatría, vana divinatio, vana observantia, et cultus, qui vocatur indebitus, vel quia perniciosus, vel quia inutilis est. Sub irreligiositate sunt blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, et horum temporum errores, ut politichismus, naturalismus, scepticismus, hypocritismus, indifferentismus, et atheismus. Sub hoc vitio sunt materialismus, idealismus, et

pantheismus. Athaeismus superstitione deterior est. Vera religio nedum utilis, sed etiam necessaria, una est ex veritatibus naturalibus et revelatis consurgens.

Propositio prima á n. 83. ad 96.

Deus interno externo que cultu prosequendus est.

Propositio secunda á n. 97. ad 113.

Sive rationis naturalis infirmitatem ad omnia legis naturalis officia simul cognoscenda spectemus; sive ipsius legis naturalis insufficientiam ad quasdam veritates permaxime homini necessarias, fatendum est hominem superno revelationis lumine ad utrumque indigere, diversa tamen ratione.

Propositio tertia á n. 114. ad 127.

Possibilis est quarumdam veritatum, quae mysteria appellantur, revelatio.

Propositio quarta á n. 128. ad 149.

Deus defacto cum quibusdam hominibus, ut alios edocerent, loquutus est.

Propositio quinta á n. 150. ad 167.

Externae omnibusque facile poerviae notae ad secernendam veram revelationem á falsa sunt duae praecipuaé, miracula scilicet, ac prophetiae.

Propositio sexta á n. 168. ad 183.

In verbis Dei scriptis, et sine scripto traditis, quae in Ecclesia una, sancta, catholica, et apostolica servantur, reperitur revelatio homini ab ipsa eius origine á Deo facta.

DE THEOLOGIAE PRAEAMBULIS ATQUE LOCIS

1. Theologia est doctrina de Deo, eiusque proprietatibus, operibus, et cultu. Quamvis ergo si pressius loqui velimus non sit idem Theosophia et Theologia, quia illa est perfecta cognitio Dei rerumque divinarum, haec autem qualiscumque notitia de Deo rebusque divinis; tamen ex praesenti eruditorum usu eorum vocabulorum notiones miscentur, atque pro una eademque re theosophia, et theologia usurpantur.

2. Cum cognitiones, quas habere potest homo de Deo, eius propietatibus, operibus, et cultu, manifesta fiant vel per lumen rationis, vel per revelationem, duo theologiae genera vulgo statuuntur; videlicet theologiae naturalis, et theologiae revelatae: naturalem illam appellant, quae ex naturali lumine conficitur, revelatam vero eam, quae discitur ex Dei revelatione.

3. Si ad methodum qua theologia pertractatur attendamus, dividitur in positivam, dogmaticam, polemicam, moralem, mysticam, et Scholasticam. *Positiva* versatur in fidei ac morum principiis stabiliendis: *dogmatica* fidei et morum dogmata firmat, exponitque ex iis fundamentis, quae positiva posuit: *polemica*, quae et bellatrix dicitur, ipsa fidei morumque dogmata adversus Infideles, Judaeos, et Haereticos tuetur, eorumque errores detegit, et redarguit: *moralis*, in exponendis regulis, et praeceptis morum tota occupatur: *mystica* in vitae spiritualis arcanis reserandis exercetur: Scholastica dicitur illa quae ex fontibus revelatis suas deducit conclusiones ad verae exactaeque logicae regulas se componens. Magnae utilitatis est, quando sobrié ac temperanter tractatur: sed est inutilis, immo quandoque noxia, cum rationi, et curiositati habenae laxantur.

4. Breves suffecissent nobis Catecheseon libri, si nulli umquam fuissent homines perversi, qui veritates, quae nos per viam salutis dirigunt, corrumpere ausi fuissent: nunc vero, cum omnia ferme nostrae religionis dogmata fuerint ab illis vel omnino negata, vel graviter corrupta, et haereses nondum penitus sint extirpatae, aut iterum ab orco revocari possint, hinc apparet, necessariam esse theologiam, qua eadem dogmata, non exponantur solum, sed omni argumentorum genere confirmentur, et ab hostium cavillationibus vindicentur.

5. Fines Theologiae confundendi non sunt cum Theo-

logorum officiis. Finis ergo Theologiae est ut Deum resque divinas noscamus; et ut hac scientia utamur ad Deum glorificandum et vitam nostram instituendam secundum istam cognitionem: brevius, Theologia docet recte cogitare atque sentire de Deo, et ei liberaliter, ac recte servire. Exquo apparet finem Theologiae et theoricum et practicum esse.

6. Theologorum officium est scire quomodo fides opituletur piis, et quemadmodum adversus impios defendatur. Theologus igitur confutare debet errores, qui adversus res sacras avitamque religionem irrepserint, errantesque qua charitate, qua argumentis confutare: Deinde in Scholis redactam juventutem ad res sacras instituere, aut populum ex pergamis docere, aut ex Sacro tribunali consulere privatorum conscientiae.

7. Theologiae candidati eo spectare debent, ut sana doctrina imbuti suam et aliorum salutem felicius promoveant, et Dei gloriae Ecclesiae que utilitati efficacius serviant nulla spe temporalis lucri causa. Dotes dictorum candidatorum sunt; 1. animi *puritas*, quia soli cernere possunt, qui bene purgatint generosa lumina mentis: 2. *pax animi*, quia passionibus agitatus et commotus animus, vix quidquam intelligit: 3. *Oratio*, quia in salutis via, coelestium potius quam terrestrium contemplatione opus est: 4. *humilis animi demissio*, quia ad capessendam obtinendamque veritatem non est alia via quam humilis cognitio nostrae infirmitatis. Denique *fides firmissima*, ut animus eius ab omni novitate alienus, discat ab eo, qui scientiarum Dominus est.

8. Deus homines alloquitur via naturae per rationem naturalem; et via prophetiae per revelationem: ex quo fluit Theologiam naturalem et revelatam duos veluti radios aeterni luminis Dei esse, et Theologum utramque coniungere debere exemplo Augustini ductus qui ea quae ut vera credebat, scire impatienter desiderabat. Id ipsum magna certe gloria praecepit et egit Sanctus Thomas prout sua ferebant tempora.

9. Quamquam vero utraque Theologia amice coniuret, alteraque alteri lumen praeferat, est tamen magnum inter utramque discrimen: namque naturalis Theologia angustior et imperfectior est, quia lumen naturae exiguum est, et magna ex parte humanae naturae tenebris obsitum: revelata vero amplior et perfectior. Praeterea, et si vera theologia naturalis, non omni ex parte integram moralem nos docet, nec vera media quibuscum Deo reconciliemur, et vitam aeternam habere possimus demonstrat (uti postea fusiori calamo prosequemur).

10. Cum naturae ordo ita se habeat, ut dum aliquid discimus rationem praecedat auctoritas; facile patet omne argumentum, in Theologicis disciplinis vel ab auctoritate, vel á ratione duci. Auctoritas ergo, seu lumen revelatum, et ratio, seu lumen naturale sunt fontes seu loci ex quibus Theologus argumenta sumit, sive ad suas comprobandas conclusiones, sive ad contrarias refellendas: hoc tamen discrimine quod auctoritas primum locum teneat et ratio postremum, ita ut haec fidei subserviat. Humana siquidem ratio non est norma ad quam res fidei aestimari debent, sed organum quo fides utitur ad sui defensionem et conservationem.

11. Ex quo patet, quod captivare intellectum in obsequium fidei, non est excludere facultatem iudicandi sed tantum contradicendi in rebus fidei dignoscendis. Sana enim ratio dictat, rationi superiori loquenti statim obsequium mentis exhibendum esse, non obloquendum, tametsi ea non intelligamus, quae nobis ab illa revelantur. Quemadmodum ergo nec statui, nec intelligi potest revelatio sine ratione; ita sine revelatione recta ratio nec omnia attingit, nec est ab omni errore immunis. Qui solam rationem in re theologica consulunt, paulatim libertini, et athaei evadunt; qui solam revelationem addiscunt sine rationis usu, in faedam ruunt superstitionem. Fas igitur non est excludere cum Mahumedanis rationem, et si primas partes revelationi tribuamus.

12. Rationis in rebus Theologicis usus his continentur. 1. recta ratione duce inquirimus existentiam divinae revelationis, eam agnoscimus, et á pseudo prophetiis distinguimus: 2. si ea tradit revelatio, quae rationem excedunt, ulterius nequit progredi, sed suas faces in obsequium revelationis captivare, quia pugnat supremam rationem, quae infinité plura continetur, quam humana, falli et fallere posse: 3. Si tradit ea, quae rationi humanae finitae conformia sunt, poterit de iis modeste disserere, et rectas ex principiis consequentias deducere: 4. eas in hominum utilitatem, et Dei gloriam convertere: 5. tandem recta ratione utimur in revelatione defendenda adversus impios; quia etsi revelatio possit esse tam supra, quam iuxta rationem, numquam autem contra. Suadet quidem ratio admitendam esse revelationem, non quidem propter ipsam rationem, sed propter primam veritatem, quae id revelavit. Quaerit ergo ratio intelligere, ut credat; sed non credit, ut intelligat.

13. Principia ergo verae Theologiae sunt duo, ut iam ostensum manet, revelatio scilicet, et ratio; quae tamen ita

adhibenda sunt, ut ratio naturae facem praeferat revelationi, quae non saxis facta est, sed hominibus ratione utentibus; et revelatio augeat, perficiat, emmendet que rationem. Ex tribus instrumentis, quae nobis largitus est Deus ad rerum extra nos positarum notitiam comparandam, scilicet sensus, rationem, et lumen revelatum, sensus aptavit rationi, et hanc praetexuit revelationi; et quemadmodum ratio sensuum infirmitati opem fert; ita rationis errores revelatio emmendat; ut que prius sensibus utimur, quam ratione, ita prius ratione, quam lumine revelato: gratiam praecedit natura, et cognitio naturalis, praecedit revelationem, quae est rationis ipsius emmendatrix.

14. Ex revelatione divina profluunt auctoritas scripturae sacrae; traditionum divinarum, et apostolicarum; Ecclesiae catolicae et per orbem dispersae, et in suo capite visibili spectatae, Sanctorum Patrum, Scholae Theologorum, et Iuris pontificii periti: ducunt autem ortum ex ratione auctoritas Philosophorum, Iuris caesarei peritorum, atque humana historia. Haec tamen ita dicta volumus, ut quis sibi persuadeat Theologum nos eum dicere, qui in quaestionibus promovendis non ignorat, quid Ecclesia, quid Concilia, quid Sancti Patres, quid Summi Pontifices, quid Scholae Doctores, quid Iuris pontificii, et caesarei periti, quid Philosophi, atque Historici docuerint; quia hi omnes nihil aliud docent, nisi quod ratione et revelatione constat. Sunt ergo nobis hi omnes aut testium aut interpretum loco: Philosophi nempe, et historici nihil aliud facitunt, quam testari de recta ratione aut veterum tradi i one; au demonstrare, quid verum et constans patefecerit ratio ex communi sapientum sententia: Ecclesia, Concilia, Patres &c. aut rationem vel revelationem sciiptam vel traditam interpretantur, aut testantur de traditione; aut disputant ex principiis rationis, et revelationis

15. Una eademque veritas sub nominibus, *quaestionis*, *conclusionis*, aut *propositionis* venire potest: quaestio dicitur veritas, quae per interrogationem vocatur in dubium: appellatur conclusio, quum ex suis principiis argumentando colligitur: propositio nuncupatur, quum nude vel absolute profertur. Conclusio igitur theologica in tota sua amplitudine illa est quae apta et congrua argumentatione certo vel probabiliter deducitur ex ipsius theologiae principiis, et complectitur veritatem fidei, aut ei affinem, aut huius, vel illius elucidationem vel confirmationem. Si ex testimonio verbi Dei, cuius sensus est ab Ecclesia determinatus ratio-

cinio certo colligitur, et claré et distincté continetur aut in lumine naturali, aut in revelatione, certe erit fidei divinae, quamquam, ut quis adstringatur ad eam certa fide credendam, requiritur Ecclesiae definitio, qua nondum existente, in fide certe erraret, haereticus tamen dici non posset, quia haereticum non facit solus error, sed in errore pertinacia, ut docent S. Augustinus, et S. Thomas post eum 2. 2. q. 17. A. 3 Ex his ferri potest iudicium de pueris idiotis, qui in sectis haereticorum nascuntur quos scholae haereticos materiales vocant, et non formales.

16. Sin autem conclusio colligitur ex testimonis Scripturae, quorum germanus sensus nondum est ab Ecclesia determinatus, vel ex principiis revelatis, sed ratiocinio non omnino certo et evidenti, ad fidem non pertinebit, ejusque probabilitas maior aut minor erit prout eius fuerit connexio cum Theologiae principiis. Scholasticorum libri harum propositionum pleni sunt. Si non omnes, multae tamen plurimum inserviunt Ecclesiae dogmatibus illustrandis, et appendices vocari possunt dogmaticae theologiae: qua in re adhibenda eaerit cautio, ut quae sunt fidei secernantur ab hominum opinionibus etiam probabilibus et certis.

17. Propositiones Theologicae, (sive sint cognitionis, hoc est theoreticae, ut ista, Pater, et Filius sunt unum Spiritus Sancti principium; sive practicae, id est actionis ut est praeceptum evangelicum de susceptione baptismi) ad 4. genera, reduci possunt videlicet articulos fidei, dogmata fidei, doctrinas catholicas, et quaestiones controversas. *Articuli fidei*, sunt praecipua quaedam catholicae doctrinae capita certa et stabilita, in quibus alia plura fidei dogmata continentur, ut egregie explicat S Thom. 2. 2. q. 1. A. 7. *Dogmata fidei* sunt quae ab universa Ecclesia credenda proponuntur, aut quia in Scripturis clare et distincté continentur, aut deductae sunt ex scriptura et traditione. In hoc fidei dogmata distinguuntur ab articulis, quod articuli sint prima et maxima christianae religionis capita, atque adeo explicité ea credere teneamur, non vero dogmata, ad quae sufficit fides implicita, qua parati sumus credere ea quae in sacris literis continentur; ex. g. omnes nasci in peccato originali; sine interiore Dei gratia neminem posse recte credere, aut operari.

18. *Doctrinae catolicae* sunt, quas magna Ecclesiae pars tenet, et á probatissimis Theologis defenduntur, licet ab Ecclesia non sint definitae tamquam ad fidem pertinentes, veluti; cum Deo in coelo regnare, vereque beatos esse quos

Romana Ecclesia tales declaravit, et similes quam plurimae. *Questiones controversae* sunt quae absque censurae nota pro, et contra velut adiaphorae, defenduntur á Theologis, cuiusmodi sunt illae: ¿Utrum in purgatorio sit ignis materialis? ¿Utrum angeli creati sint ante hunc mundum corporeum? Quas omnes apte prudenterque pertractabit Theologus.

19. Illud etiam velut maxime perutile cum gravissimis Theologis adnotare oportet, dupliciter aliquid contineri in veritatibus á Deo *immediate* revelatis, adeoque dici posse *mediate* revelatum, primo veluti partem in toto, ut haec propositio, petrus peccatum originale contraxit, quia haec singularis continetur tamquam pars in hac generali revelata, omnis homo peccavit in Adam. 2. veluti effectus in sua causa, et proprietas in essentia, ut hae: Christus habuit liberum arbitrium, christus pollebat ridendi facultate; quia libertas est proprietas humanae naturae, et facultas ridendi continetur in homine veluti effectus in sua causa. Christum autem fuisse verum hominem fides catholica nos docet.

20. Propositiones quae in re theologica veritati opponuntur variis nominibus appellari solent, sic que diversis censuris perstringuntur. Notae autem á summis Pontificibus et Theologis adiectae post Concilium Constantiense sessione 8. sunt scilicet, hereticae, sapientis haeresim, temerariae, erroneae, haeresi proximae, scandalosae, pietatis offensivae, male sonantis, simplicium seductivae, schismaticae, blasphemae, periculosae, improbabilis &c. de quibus nunc singilatim nobis agendum.

21. Haeretica dicitur propositio, quae adversatur veritati expresse, et immediaté revelatae in sacris litteris, vel perspicue contentae in traditione, aut Ecclesiae difinitione. Sic haec propositio, homo non tenetur amare finem ultimum neque in principio neque in decursu vitae suae mortalis, contradicit textibus apertis, Marci 12, Matthaei 22, et Joannis 3. Contra vero haec alia, Sancti non audiunt preces nostras, haeretica non est, quia nulli veritati revelatae directé opponitur.

22. Haeresi proxima, est quae repugnat conclusioni quae licet neque in scriptura neque in traditione expresse contineatur, evidenter tamen colligitur ex verbo Dei. Sicut enim conclusio quae ex revelatis immediate infertur proxime accedit ad fidem, ita ejus opposita proximé ad haeresim accedit. Huiusmodi sunt hae propositiones: Christus non fuit liber, aut non habuit ridendi facultatem, quia contrarium evidenter fluit ex incarnationis Mysterio: Fracta specie panis Eucharistica, frangitur christus: Non est adorandus christus in

altaris Sacramento. (vid. Walembuch. pag. 26. 27.)

23. Sapiens haeresim vel de haeresi suspecta illa dicitur, quae licet absolute prolata, possit sano sensu explicari, ex adiunctis tamen vel contextus, vel personae, vel temporum suspicionem prudenter ingerit pravi alicuius sensus, qui lateat. Sic haec vox Christotocos, quae á catholicis de B. M. V. proferebatur sine suspicione, quia aperte confitebantur aliunde unam christi personam; sapiebat haeresim suspectaque de ea erat in ore Nestorianorum propter rationem oppositam. Haec etiam propositio: *in Eucharistia manent panis et vinum*, absolute prolata convinari potest cum veritate hortodoxa, et sano sensu subtiliter explicabatur Hostiensis tempore ab aliquibus Doctoribus catholicis; tamen prohibetur, quia Sacramentariis suffragari videtur.

24. Propositio haeresim sapiens restitui posset suae existimationi, si ab ea purgetur suspicio: exemplum habemus in hac propositione, *unus de Trinitate passus est*, quam reiecit Hormisdas Papa, quod accedere videbatur ad Euthiquis haeresim, qui somniabat dolores mortis á Christi divina natura fuisse exanthlatos; postea tamen eam velut catholicam receperunt Pontifices Joannes secundus, et Vigilius, nec non Synodus 5. Eucumenica.

25 Erronea in specie vocatur illa propositio quae licet immediate non pugnet cum veritate revelata, tamen ex illa consequitur corruptio mediata alicuius veritatis, sive historicae, sive moralis, sive philosophicae, sive iuridicae: primae exemplum esto: S. Petrus non fuit Romae: 2, Virtutes philosophorum sunt vitia; duelum est fortitudinis actus: 3, anima rationalis non est per se veré, et essentialiter forma corporis: demum 4, Franciscani cordigeri gaudent nudo usu facti, ab usu iuris separato: Haec enim, licet ad fidem aut mores non spectet, ut fatetur Joannes 22, Extravaganti *Quia quorumdam*, tamen ut erronea ab ipso damnata fuit in extravaganti *Ad conditorem*. Quandoque una eademque propositio damnari solet ut erronea, et haeresi proxima: Sic in Concilio Constantiensi qualificata fuit haec propositio: Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, seu Religiosos non magis prosunt, quam generales.

26. Temeraria quae diversimodé á DD. explicatur, illa est, quae sententiae receptae PP. ac Theologorum contradicit absque ullo gravi fundamento. Qui de suo iudicio nimis praesumentes, nullo gravi fundamento ducti, á sententia recepta PP. ac doctorum resiliunt temerarii censendi sunt, ut qui dicunt, *non est verus ignis apud inferos*: Eodem vitio

laborant intemperantes quidam Critici, qui historias pias communiter receptas, levibus ducti rationibus reiicere audent. Similes his sunt multi Theologi morales, qui solis levissimis ratiunculis moti, et absque ullo fundamento in Scriptura, Traditione, et Patribus, de pluribus vitae humanae actionibus definire arbitratu suo solebant, quasque confixerunt Alexander septimus, Innocentius 11. et Benedictus 14.

27. Scandalosa propositio, quae non laedit veritatem, laedit tamen charitatem, ea est, quae per se occasionem praebet ruinae spiritualis proximo, vel quia inclinat ad peccatum, vel quia avertit ab exercitio virtutum. Hinc sicut scandalum in activum et passivum dividitur, idem dicendum venit de propositione scandalosa, nam si habet vim generandi mortem spiritualem, active scandalosa vocatur et censura scandali proprie afficitur, quales sunt prope omnes damnatae ab Alexandro 7. et Innocentio 11. nec non sequentes: Populus non peccat licet sine causa legem non recipiat: Satisfacit praecepto Ecclesiae qui confessionem voluntarie nullam facit: procurare licet abortum faetus inanimati &c. Propositio dicitur passive scandalosa, illa per quam proximus posset dessumere occasionem ruinae spiritualis, attenta sua fragilitate. Haec prohiberi simpliciter potest absque censura; dummodo id debita fiat circumspectione, ne doctrina perniciosa potius quam fructuosa sit. Inter alias, hac ratione prohibita fuit editio Bibliorum in lingua vulgari.

28. Piarum aurium offensiva, quae non aequaliter ab omnibus explicatur, illa est, quae tametsi falsa non sit, tamen in materia religionis aliquid profert indecens, vel indignum subiecto de quo loquitur, et per quod piorum aures merito offendantur. Sic, si non nulla de partu Christi domini explicarentur incaute, merito piorum aures offenderentur. Apud subtiliores Scholasticos multae reperiuntur propositiones quae quid horridum praeseferunt devotis auribus: ut, Deus potest mentiri: Deus de suo absoluto dominio potest quemcumque Angelum vel hominem paenis infernalibus pro libito addicere.

29. Male sonans, est quae licet admittere possit sensum verum et sanum, verbis tamen exprimitur in congruis, quae perversam quamque significationem admittat: ut si quis catholicé de Trinitate sentiens diceret, *in Deo sunt tres essentiae relativae*: ubi nomen essentiae, quod significat naturam divinam, in congrué usurpatur ad significandum cum haeresis sono proprietates personales. Etiam male sonat haec, *Christus est ubique*, quam Catholicus vere intelligit de Divinitate; Ubiquista vero falso de humanitate.

30. Simplicium seductiva est, quae tegens errorem sub specie pietatis, vel boni praetextu, simplices seducit: Sic Ariani, Episcopis catholicis, qui arianismo subscribere recusarunt, fucum fecerunt formulam proponentes in qua dicebatur *Filium esse Homiusion Patri*; quae vox homiusion idem est ac similis, non vero consubstantialis, respondens huic alteri *Homousion*, quam Patres putabant sub illa formula contineri. Pretextu orationis, pietatis, et devotionis docuerunt turpissimos errores, et plures animas deceperunt, Molinos, Quesnelius, eorumque sequaces, nec non etiam Dulcinistae, et Tourlupini (Hos non pudebat canum more publice coire. tom. 5. Grav. pag. 109).

31. Schismatica dicitur propositio quae viam parat scissioni Ecclesiasticae unitatis per dissolutionem unionis Ecclesiarum inter se, vel cum suo capite, ut haec, *Pius 7. est Pseudo Papa.* Fere semper schismatica assertio habet haeresim vel comitem, vel pedisequam. Huic valde affinis est propositio sediciosa, quae retrahit ab obedientia Principibus civilibus debita, ut doctrina de Regicidio, vel Tyrannicidio; sed differt ab ea, in eo quod sediciosa tollere pergit unitatem civilem et politicam, Schismatica vero apta est rumpere unitatem Ecclesiasticam.

32. Blasphema est quae maledictionem vel convitium continet adversus Deum, Christum, aut Sanctos aliasque res sacras, nam horum inhonoratio in Deum ipsum redundat. E. C. Si quis diceret, Christum fuisse impostorem; Beatam Virginem ut Matrem Dei nihil prorsus habere speciale prae aliis mulieribus. Si exprimit aliquam haeresim, est blasphemia hereticalis, ut ista: aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus sunt imposibilia, quam ut talem damnavit Innocentius decimus: Si non exprimit haeresim, est blasphemia simplex, ut haec damnata ab Alexandro 8: Laus quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

33. Impia, est, quae adversatur catholicae pietati, eiusque dictaminibus: Avocat quippe fideles á pietate, devotione, conciliis Evangelicis, operibus supererogatoriis, aliisque religionis exercitiis; uti, si quis diceret; vota religiosa sunt abolenda: Monachorum abdomini saginando excogitatas esse pias fundationes, eleemosynas pro misis, locorum votivorum visitationes &c. Omnia Sacra Sodalitia esse exterminanda.

34. Periculosa est, quae propter affinitatem cum aliis malae notae thesibus veré obnoxia est: res enim periculi ple-

na est privatas opiniones, et paradoxas doctrinae suspectae faventes sustinere, quia sic de proprio judicio nimis praesumitur. Advertere tamen oportet quosdam asuetos trivialibus doctrinis, male de quibusdam Doctis, et re litteraria benemeritis, sentire, atque eius sententias sugilare veluti periculosas, non tan merito doctrinae horum, quam adversariorum ignorantia, veluti si quis nullas qualitates absolutas Peripateticorum admittat. Longum esset singulas enumerare: pauris contenti simus.

35. In suspicionem nutantis fidei adductos fuisse Sodoletum, Moronum, Contarenum, et Bellarminum Cardinales, nullus dubitat, et si hi prorsus catholici sint. Quosdam etiam, eadem causa, in Inquisitionem venire fecit, atque eius opera in cathalogo Librorum prohibitorum inseri, ut accidit Natali Alexandro, donec ab ea suspicione fuerunt liberata á Benedicto 13. Cardinalis Norisii opera detenta fuere apud Inquisitionem in nostra Hispania usque dum illa Benedictus 14. libertate donavit. Haec eo animo adducta sunt ne Theologi tam liberales sint, ut aliqui solent in doctrinis catolicorum aspergendis labe haereosos, aut alia nota theologica.

36. Improbabilis iure merito habenda est propositio, quae nullo aut Scripturae, aut traditionis, aut rationis theologicae pondere fundatur: namque probabilitas in rebus ad fidem et mores pertinentibus in aliquo ex his debet inniti. Laxa dicitur propositio, quae multum favet libertati conscientiae et in morum materia est nimis licentiosa, nec ulla ratione theologica comprobatur. Sunt et alia nomina quibus explicari solent popositiones pravam doctrinam, sive in fide, sive in moribus continentes, quas censuras á Theologis potius, quam ab Ecclesia positas recenset Tournelyus, qui omnino videri meretur.

37. Pravae doctrinae dupliciter ab Ecclesia proscribuntur: 1. *specificé*, ut cum delectis propositionibus, cuilibet affigitur una vel multiplex Censura ex relatis, ut videre est in Decreto Innocentii decimi, qui hoc modo quinque Iansenii propositiones damnavit: 2. *cumulative*, quando relatis singillatim propositionibus, non sua censura cuique applicatur, sed plures censurae pronuntiantur, illisque respective convenire significatur, quemadmodum fecit Synodus 5. generalis contra errores Origenis &. Nihil magis delicatum spinosiusque, quam determinare censurae speciem, quae indiget magno Theologorum studio, subsidiisque magnis ex historia litteraria, optimaque logica petitis.

38. 1. Ex historia literaria sciri debet auctor eiusque genuina hypothesis, nec non processus Sancti Officii, et auctores adversari, qui delatores dicuntur. 2. Vi Syllogismorum, qui recte confecti sunt, deduci debent pravae consequentiae, quae redundassent in Ecclesiam, sive in rebus fidei, sive morum, sive in causis disciplinae, si tolerata fuisset propositio quae censura theologica inuritur. 3. Ope ipsius dialecticae indaganda est praecise contradictoria directa damnatae propositionis, quia ad hanc solam obligat censura. Cum bene multae ex damnatis sint propositiones valde ambiguae, collectivae, disiunctivae, et reflexae, ac perinde argumentum ex his dessumptum millenis subter fugiis subjiciatur, perdifficile est damnatae contradictoriam deprehendere: Sit loco exempli haec ab Alexandro 7. damnata propositio: Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate: Nemo enim obligatur ad credendam infallibilitatem istam, quia contradictoria propositionis confixae tantum est haec: Assertio de Romani Pontificis supra concilium Oecucumeni um auctoritate non est futilis, et toties convulsa.

39. Pauca his adiicimus de Censura, quam merentur propositiones contra communem et unanimem Scholasticorum doctrinam, qui ferme semper inter se dissentiunt. Quoties ergo contingat, quod communis ac constans sit eorum sententia toties illam, ut catholicam veritatem fideles amplecti tenentur; ut cum uno ore docent animam Christi, statim ac in corpore fuit inclusa, Deum aperte vidisse: Qui ergo ab hac doctrina dissederet, temerarius dicendus foret. Si non conveniant inter se, tanti faciendi erunt, quanti vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit.

40. His in antecesum praelibatis de natura, divisione, necesitate Theologiae, et finibus, eiusque fontibus, nec non de officiis Theologorum, et de eorum dotibus, qui huius disciplinae studio incumbunt atque de propositionibus veré Theologicis, et censuris quibus inuruntur illis oppositae; praestat methodum indicare, qua usuri sumus. Veritates ea coaptabimus serie, ut una ex altera, quoad fieri poterit recte deducatur; atque omnes simul uno veluti nexu inter se colligentur, ut mutuam sibi lucem communicent, et uno obtutu pulcherrima Theologiae forma appareat.

41. Post brevem historiam theologiae literariam, jactaque prima religionis fundamenta, pauca ex communibus Theologiae prolegomenis seligemus: Deinde, viam salutis sequentes, agemus 1. de Deo eiusque attributis; 2. de Trinitate Perso-

narum Divinarum: 3. de rerum omnium creatione, conservatione, ac gubernatione, potissimum quidem de Angelis et hominibus, qui creaturas dignitate antecellunt. Explicato autem primo hominum lapsu, sua sponte nobis se se offeret, 4. loco, doctrina de humani generis redemptione per Jesum-Christum. Cumque Christus de mediis etiam providerit, et adiumentis, quibus salus ab ipso parta, singulis hominibus applicari possit, haec que sint *gratia Christi* medicinalis, et Novae legis Sacramenta, hinc 5. agendum erit de gratia Christi, et Sacramentis: 6. de iustificatione, bonis operibus, et merito. Ultimo denique de fruitione salutis in ipsa vita aeterna, quae in beatifica Dei visione consistit, et ad quam consequendam, sicuti omnes actiones nostrae, ita etiam Theologiae studium dirigi debet.

THEOLOGIÆ BREVIS HISTORIA.

48. Theologiae exordium, incrementa, vicissitudines, atque progresus ad nostra usque tempora, per summa saltim capita nobis exhibere volentibus: nihil consultius, nihil que Theologiae auditoribus utilius excogitari potest, quam eius historiam altius repetere, ab ipso nempe rerum creatarum exordio, eo vel maxime, quod veritates, quas Deus ad nostram salutem aeternam procurandam revelare dignatus est, cum ipso genere humano natae sint, quemadmodum sacri codices non obscuré tradunt.

43. Primus enim hominum Adamus praeter doctrinam sibi á Deo conditore infusam, scientiam aliam habuit vel industria sua comparatam, vel oculis et auribus acceptam, quâ fidem doctrinae revelatae in se nutriret, sui que posteris traderet. Ante peccatum cognovit se eo fine á Deo conditum fuisse, ut divino frueretur aspectu: Debere se Deum creatorem suum amare, et colere, officia que erga homines servare: Si secus faceret, una cum omni posteritate multis miseriis obnoxium fore. Horum dogmatum cognitioni accesit post eius lapsum aliarum veritatum notitia, quae ad generis humani infectionem, reparationem que, per Christi adventum certo quodam tempore, pertinebant. Hanc ipsam traditam accepere nedum Adami filii, et ex illis geniti Patriarchae quum ante-diluviani Abel, Seth, Henoch, Noe, Sem, Japhet; tum post diluviani Abrahan, Isaac, Jacob, Prophetae per spatium bis mile annorum; quam praeterea in suis familiis á patribus in filios derivatam, ad posteros transmisserunt. Igitur

ante Moysis tempora Patriarchae de condendis Scriptis non cogitarunt.

44. Moysi Deus triplicem legem tradiddit in Sinai, Naturalem, (Ex. 22.) Sacram, (Ex. c. 25. usque ad 30.) et politicam; (Ex. 21. usque ad 23.) quarum duae ultimae ad fidem in Messiam confirmandam omnino erant accommodatae. Scriptores autem divini, qui vel dogmata, vel praecepta morum scripta reliquere, ut David, Salomon, Daniel, Jeremias, Isaias, Ezechiel, ceterique vates qui ante, et post captivitatem Babilonicam scripsere toti in hoc erant, ut legem quasi custodes á Deo positi puram, et intemeratam servarent, ceterosque edocerent, et cohortarentur ut Deo in omnibus obedirent. Pseudoprophetas falsam doctrinam praedicantes, refutabant Vates divini vaticiniis, et factis: certa Dei mandata exponebant, et annuntiabant: cumque eventus confirmaret vaticinia; resecabant sine labore inepias haesitationes mortalium, et disputandi cacohetem, facilique intelligi poterat qualis esset orthodoxa doctrina. Haec ita contigere sub Iudicibus et Regibus ad exitum usque Babylonicae captivitatis.

45. Postquam ergo Judaei ad patrias sedes reversi fuerunt ducibus Zorobabele, Nehemia, Mardocheo, ceterisque viris principibus; urbem Jerusalem, et templum á fundamentis erexerunt; Deusque suscitavit Esdram, Aggaeum, Zachariam, et Malachiam viros divino spiritu afflatos, qui et rempublicam Iudaeorum Sapientissimis legibus temperarent, et rem omnem sacram ac ritus ad veteris religionis formam instituerent. Quamvis enim divino auxilio, id que opera Danielis et Exequielis factum sit, ut dogmata praecipua intemerata manserint in servitute Babylonica; tamen Iudaei usu et consuetudine Chaldaeorum, domesticos ritus, externum que Dei cultum ex animo deleverunt destructo templo, ac remotis sacrificiis.

46. Esdras, qui et *Scriba legis* dicitur, Divinos Codices emmendavit, ordine possuit, descripsit, et religionem ad pristinum exemplar formavit: Ceteri autem Vates monendo, docendo, reprehendendo, Iudaeos in officio continuerunt, eosque excitarunt ad veterem religionem retinendam Mesiae adventu, quod praesertim fecerunt Zacharias, et Haggaeus. Quod ad Dei providentiam pertinuisse videtur, quae homines in rebus eiusmodi edocere solet per alios homines veluti Magistros, quae ad aeternam salutem conferunt. Ea tamen fuit

divinae Sapientiae aeconomia, ut quibusdam quasi gradibus doctrina revelata magis perspicua, atque illustrior fieret, donec tandem per ipsum Unigeniti filii sui os, atque doctrinam incrementum omne, quod habitura erat, obtineret. Priusquam vero ad hanc felicissimam aetatem perveniamus, observare oportet, quod post Malachiae obitum desit inter Iudaeos adflatus divinus, et Doctores Iudaei proprio genio indulgentes, addiderunt plurima iis, quae apud eos Ore tenus servabantur. Ortae inde fuerunt controversiae, atque saectae, veluti Sadducaeorum, Karaitarum, Phariseorum, et Essenorum.

47. Christus veteris legis praecipuus scopus, Redemptor humani generis, ante saecula destinatus, post hominis lapsum statim promissus, tot praefiguratus sacrificiis et ceremoniis in veteri lege, spectatus á Patriarchis, praenuntiatus á Prophetis, ac tandem universo mundo per Evangelium propositus, per se ipsum homines alloqui non est dedignatus. Doctrinam, quam ex sinu Patris hauserat, hominibus enarrans eos erudivit, et docuit viam Dei in veritate, nedum parabolis et similitudinibus, ut paulatim assueti per gradus ad lucem é tenebris perducerentur; sed rationibus ex Moyse, et Prophetis ductis ad Iudaeorum pervicaciam frangendam. Sic probaturus suam divinitatem adversus Iudaeos ex illo loco Psalmi: *Dixit dominus domino meo*; concludit: *Si ergo David vocat eum Dominum, ¿quomodo Filius ejus est?* Matthaei 22. Praeceptoris decreta tum quae ad dogmata, tum quae ad mores spectat, publicé praedicarunt Apostoli vaticiniis prophetarum eam illustrantes, eiusque veritatem confirmantes miraculis, et sanguinis sui effusione. Gentiles, atque Iudaei non una eademque ratione confutarunt: Disputantes enim adversus Iudaeos, qui Scripturas recipiebant, ex iis illos redarguebant: Gentiles vero, qui Scripturas vel ignorabant, vel respuebant, rationis ductu, humana que auctoritate confutarunt, ut ex Actis Apostolorum, eorumque epistolis apparet.

48. Patres Apostolici primorumque saeculorum Scriptores hanc eandem viam sequti sunt: Fidei mysteria morumque praecepta explanantes, nihil de suo addiderunt, sed ad Apostolorum doctrinam se referebant, ex ea que contentiones, quae in Ecclesia movebantur, finiebant; additis rationis naturalis argumentis, quibus Gentilium errores oppugnabant; ut videre est in Scriptis Ignatii, Polycarpi Papiae &c. Eadem via tradita fuit sacra doctrina 2. saeculo, tum cathecumenis, tum fidelibus, maiori tamen apparatu, quam superiori saeculo,

namque Scholae catheche seos, apertae fuerunt in rudiorum commoditatem: quod officium magna laude praestiterunt viri litteratissimi Pantaenus, Clemens Alexandrinus, Origines, &c. Pro christiana religione, ut ipsius hostes refutarent, Apologias eodem saeculo 2. miserunt Imperatoribus Adriano, Antonino Pio, Marco Aurelio, aliisque Magistratibus Iustinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus Anthiochenus, Minucius Felix, Tertulianus, aliique.

49. Capita ergo ad quae eorum theologia revocabatur erant quatuor: 1. rudimentis fidei cathecumenos erudiabant, morumque praecepta docebant fideles: 2. Christianorum placita, ritusque defendebant á calumniis, et irrisionibus Gentilium: 3. Veritatem Christianae religionis probabant Iudaeis: 4. denique, testimonia divina, ad id accommodata, secundum Apostolorum sententiam adversus haereticos interpretabantur, ut novitatis eos accusarent; argumenta que adversariorum ex recta ratione infirmabant.

50. Tertii saeculi Patres, et Doctores polemicam Theologiam maiori diligentia coluerunt, et accuratius Scripturas Sacras interpretati sunt haereticis ad id cogentibus; hoc que fecere in suis cathechesibus et Homiliis ad Neophitos et fideles habitis, uti videre est in operibus Methodii et Origenis.

51. Seculis 4. et 5. haeretici Ariani, Anomaei, Nestoriani, Eutichiani, aliique christiana dogmata variis philosophiae subtilitatibus obscurare, atque evertere satagebant: Ut huic malo Doctores catholici occurrerent, arma philosophiae germanae adhibuerunt ad sophismata haereticorum eludenda; Hoc magna cum laude fecerunt inter alios Athanasius, Cyrilus Hierosolimitanus, Basilius, Gregorius Naziancenus, Optatus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus. Patres hi, aliique á divina providentia vocati, ad infirmandam perversam doctrinam, dogmata Theologica per gradus ad suum fastigium perduxerunt. Id notatu dignum in Augustini operibus, quod omnia illius doctrinae capita vinculo inter se connexa sunt, aretissimo quia principia quaedam praeclara ponit, ex quibus innumeras consequentias elicit! ¡ Adeo ingenii dotibus valebat!

52. Severinus Boetius Romanus Aristotelis studiosissimus, qui saeculis 5. et 6. vixit, quibusdam, ut Isidoro Hispalensi, auctor fuit, ut compendia quaedam systematica methodo excogitarent, nixusque Stagyritae principiis, vocabula *Substantiae et Personae* interpretavit, et mysteria Trinitatis, atque Incarnationis explicavit: Idem mos invaluit saeculo 7. Qui primus Theologiam universam methodo systematica tractan-

dam suscepit est Sanctus Joannes Damascenus in suo *de fide Orthodoxa* opere adversus haereticos conformato. Ex Scripturis et Patrum testimoniis sumit argumenta ad eos labefactandos, atque aliquas disputationes subtiles ex philosophia Arabum adiunxit; ex quo haec systematicae Theologiae prima aetas vocari solet.

53. Quidquid plerique Theologorum saeculo 9. praestiterunt, ad tria capita referri potest: 1. ex praecedentium Patrum Sententiis adornarunt interpretationem Scripturae, ut Rhabanus Maurus; 2. homilias ad Populum ex eorumdem Patrum Scriptis Sumpserunt, ut Theodorus Studita; 3. Stilum acuerunt contra haereses per id temporis vel natas, vel instauratas, ut Hincmarus Rhemensis, et idem Rhabanus; sed incondito quidem omnes dicendi genere; quod non eorum tarditati sed saeculi consuetudini tribuendum est: Excipimus tamen *Formam fidei* Sancti Benidecti Anianensis, eo quod opusculum istud veluti quaedam Thaeologiae epitoma haberi potest.

54. Saeculo 10. tanta bonarum litterarum inscitia dominata est, ut etiam utiles ac necessariae veritates sensim negligi visae sint, ex quo saeculum hoc ferreum nuncupatur. Ex clericorum pravitate, atque inscitia tanctae tenebrae obortae fuerunt quantas nulla umquam experta fuerat aetas christiana.

55. Theologorum saeculi 11. industria versabatur in eo, ut magis dialecticis argutiis, quam ab interiori Scripturarum notitia plausum captarent. His armis instructus Berengarius *Transubstantiationis* dogma fuit adgressus: sed Lanfrancus Abbas Becensis, qui dialectica arte non minus versatus erat, hominis subtilitates retudit, et Christianum dogma ex tradita doctrina firmavit. Paulo post Roscelinus ausus est ponere *tres Deos*; quem S. Anselmus Lanfranci Discipulus docte, et subtiliter confutavit. Ab hoc tempore dialectica doctrina ad Theologica placita exponenda deflexa est.

56. Saeculo 12. regnabat ubique in occidente dialectica subtilitas; cumque eam maxime foverent Petrus Abelardus, Gilbertus que Porretanus, in perniciosissimos lapsi sunt errores, quos Concilia damnarunt. Tan altas radices egit Parisiis Aristotelis philosophia, ut in ea explicanda operam plurimi viri docti possuerint. Schola Parisiensis per id tempus celeberrima erat, sic que alumni eiusdem, in ceteras orbis partes, hanc philosophandi rationem in sacris disciplinis induxerunt. Quamquam Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus moderatior ceteris fuerit, cautiusque praeceptore suo Abelar-

do loqueretur, tamen, eo subtilitatis devenit, ut assereret, *quod Christus secundum quod est homo non est aliquid*, quam propositionem damnavit Conc. Lateranense 3. anno 1180. Opus eius, sententiarum dictus, et in quatuor libros divisus, continet sentencias quas collegit ex Hilario, Ambrosio Hieronymo, et praecipue Augustino, super quaestiones eo tempore agitatas. Principio displicuit eius methodus plurimis Theologis, qui cum Stephano Tornacensi pro veteri Theologia pugnabant, sed paucis post annis sic ubique recepta fuit, ut sola perlegeretur in Scholis publicis, eiusque auctor per antonomasiam Magister Sententiarum, et Scholasticae doctrinae parens diceretur.

57. Sub initiis Saeculi 13, ita scholastico ritu actum est, ut quasi diluvium quoddam subtilitatum Aristotelicarum Scholas occuparet. Simplicitati Librorum Lombardi non adquiescentes, vastos in eius textum commentarios ediderunt plusquam trescenti Theologi, qui Magistrum interpretati sunt. Pauci ex iis excipiendi veniunt, scilicet Alexander Ales, S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, et Sanctus Thomas. Ratio disputandi horum, et praecipue Doctoris Angelici, talis est. In finiendis quaestionibus, Scripturae et Patrum testimoniis utitur; deinde, ubi locus est rationibus metaphicisis, et testimoniis philosophorum eas confirmat: tum etiam adiungit aliquas subtiles, et intrincatas de rebus divinis controversias, quae temporibus illis obtinebant, illasque solvit more illius aetatis. In tantis ignorantiae tenebris nullum aliud opportunum excogitari potuit remedium, quam quod S. Thomas adhibuit ad inanes factiones comprimendas temporibus serviens. Novitatibus studiorum periculosis maximo se animo opposuit; et peracri utens iudicio, recte ac sapienter ostendit posse quaedam ex Aristotele sumi, quin dogmata á maioribus accepta contaminarentur. ¡ Eo dementiae ventum erat, ut Aristotelem supra Paulum, et Evangelistas extollerent!

58. Methodo, quâ propter necesitatem usus est S. Thomas, non pauci abusi sunt post ipsum Saeculis 13. 14. et 15.; quod certe non fecissent, si Angelici Consilium intelligentes, ad simpliciorem tractandae Theologiae rationem reddere voluissent. Ingenii ostentandi cupiditate, relictisque fidei et morum dogmatibus, aut leviter tantum delibatis, Theologiam prope totam in suis commentariis, ad pugnas et contentiones quasdam de verbis, et metaphisicis speculationibus redegerunt, cum magno auditorum detrimento; postpositis,

vel neglectis necessariis, utilibus, et edificativis doctrinis, ut loquitur Ioannes 22 in quadam epistola ad Parisienses Theologos data anno 1817.

59. Cum Lutherus, Calvinus aliique saeculi 16. Haeretici omnia fere dogmata in dubium vocassent, et Scholae Theologi nullas prorsus alias haberent armas, nisi *arundines largas*, (argutiarum dialecticarum) arma videlicet puerorum; irrisi sunt à plerisque, ac merito irrisi, quoniam verae Theologiae imaginem nullam tenebant, ut ait Clarissimus Canus (L. 8. C 1.) Cui malo, ut occurrerent, gravissimi quidam tunc temporis Theologi operam dederunt, ut missis inutilibus disputationibus, ex Scriptura, Traditione, bonaeque Dialecticae auxilio controversias finirent. Palmam ceteris prerripuit Melchior Canus, cui addi potest Gregorius Valentia. Tridentini etiam Patres, ut frangerent haereticorum impudentiam curarunt, ut compendium universae Theologiae dogmaticae, sive Cathechismus Romanus accuraté conscriptus, publicam lucem videret.

60. Theologicum corpus pristino suo splendori revocatum ex tunc, et ad nostra usque tempora saeculis 17. et 18. propagatum videre est in Sylvio, et Estio; in Bellarmino, et Beccano; in Petavio et Natali Alexandro; in Du-Hamelio, et Thomassino, in Boucatio, et Gottio; in Tournelyo et Bartio; in Haberto et aliis qui sua systemata vocant positivo Scholastica, quod dogmata ratione et via disputant.

61. Quamquam non eadem via et methodo tradita sit Theologia, ut dictum manet; tamen observatione dignum est, doctrinam rerum divinarum puram et incorruptam in Ecclesia catholica remansisse ab Apostolorum aetate ad praesens usque 19. saeculum. Illud etiam ex historia exploratum est, quod Theologiae tractandae ratio, pro varietate quâ philosophia exculta est, varia fuit: nam quo tempore inanibus argutiis philosophia depravata est, eo magis onerata fuit sacra doctrina extreneis inutilibusque disputationibus ad fastidium usque: lumini autem suo, quâ maiestate, quâ dignitate restituta videtur, ex quo Philosophia per gradus á tenebris eggressa ad lucem perducta est.

62. Quum philosophiam dicimus, non sectariam illam intelligimus vel Aristotelis, vel Cartesii, vel Gassendi, vel Leibnitii, vel Newtoni, sed illam quae duce ratione, hauritur ex sensu hominum communi. Aristotelis philosophia, phisicae inutilis, plurimos peperit Atheos: ex Cartesianismo prodiit Bekkerianismus, et Spinozissimus: Ex Gassendistarum

secta, materialismus: Leibniziana vergit ad Idealismum: Newtonia tendit ad purum mechanismum. In nullius ergo verba magistri iurare Theologus debet, nec sectarius esse; sed eclecticum est ei seligendum philosophandi genus.

63. Quamvis saeculis 16, 17, et 18, extitissent magni illi Theologi, quos recensuimus (et inter quos numerari merentur Suarez: Vasquez, Joannes Maldonatus, Adrianus et Petrus Walemburch, et Iacobus Benignus Bossuetus) non defuere tamen, qui omnem Theologicam disputationem sophisticis ineptisque rationibus transegerint. His adiungendi veniunt quidam morales Theologi, qui omnes conscientiae casus ex ingenio suo, ac humana ratiocinatione duntaxat resolvere ausi sunt; sed iam praevaluit Saniorum Theologorum mens, qui genuinam Theologiam fidei et morum coluerunt; quanto autem honore accepti sunt eorumdem scripta declarant, quae omnium manibus teruntur. ¡Vtinam hos imitantes genuinam theologiam assequi valeamus!

DE RELIGIONE DEO DEBITA.

64. Theologia non solum Dei nobis ingerit cognitionem, sed etiam ostendit modum, quo tantam maiestatem cognitam veneremur: Deum enim cognoscere, sed non ut Deum honorificare; flagitium est maximum, in antiquis Philosophis ab Apostolo reprehensum. Sapientia praecedit, Religio sequitur; quia prius est Deum scire consequens colere, ut verbis Lactantii, Lib. 4. de vera Sapientia, utamur. Ens istud perfectissimum, vnicum, ac praestantissimum bonum, est causa nostrae existentiae, vitae, conservationis, et cuiuslibet boni: igitur summa servitute, summo amore, obsequio summo illum prosequi tenemur, natura nostra ad hoc nos impellente: nam quemadmodum esse non possumus nisi á Deo, *quia ipse fecit nos, et non ipsi nos*; ita perabsurdum est, ut sine auctoris nostri cognitione, et cultu vivamus. (Quae omnia ex methaphicicis cognitionibus satis abundé constant.)

65. Cum igitur cultus involvat submissionem atque subiectionem nostram ad Divinam Excelentiam, á qua in omnibus dependemus; erit obiectum religionis omne testimonium et signum, sive internum, sive externum, quo divinam excelentiam cum quadam nostri submissione protestamur. *Religio, ergo, est virtus qua debitum cultum Deo tamquam rerum omnium principio exhibemus.* Deus, namque, jure crea-

tionis et conservationis est omnium et nostri absolutus dominus: ergo sumus eius servi, et *servitutem* praestare tenemur: Ipse Deus est ens perfectissimum, et nostri amantissimus parens: igitur sumus eius filii et summum ei *obsequium* debemus exhibere: Iste Deus est summe bonus, atque totius nostrae felicitatis causa: igitur *summo* illum *amore* prosequi tenemur, et in illo *fiduciam* nostram collocare.

66. Quamvis Augustinus capitibus 2. et 3. Enchiridi dicat, *Deum coli á nobis fide, spe, et charitate*, confundenda non est religio cum his tribus Theologicis virtutibus: quia affectus colendi Deum ex recognitione divinae excelentiae, et testificatione subiectionis ex parte colentis, in quo consistit religio, distinctus est ab actibus fidei, spei, et charitatis, qui inmediate tendunt in Deum sub aliis respectibus: fides namque respicit Deum sub ratione primae veritatis, qui dum aliquid revelat, facit credibiles res ab eo dictas, amabilem que earum fidem: Spes confidit in Deo, tenditque in illum ut in bonum suum consequendum: Charitas attingit Deum sub ratione summi boni in se, et propter se amabilis: Quae rationes Deum respiciendi sunt valde diversae ab ea quam in religione observamus. Assumit ergo religio actus fidei, spei, et charitatis tamquam materiam peculiarem, et propriam cultus, reverentiae, et subiectionis; licet affectus colendi Deum propter suam excelentiam nullatenus pertineat ad has virtutes.

67. Ex magna illa existimatione quam concipimus divinae excelentiae, oritur in nobis *reverentia* propter quam, accedentes ad Deum, signa quaedam illius aestimationis exhibemus, timentes ne nimium familiariter cum tanto domino tractemus. *Timor iste reverentialis* facit ne deficiamus in cultu ipsi debito, et consentaneo estimationi, quam de illo habemus, et cognitioni nostrae infirmitatis et dependentiae. Praeterea, cum reverentialis cultus ille manet ex relatione quae est inter Deum creatorem, et hominem ab ipso factum, necesse est quod sit consentaneus naturae Dei creantis, et hominis creati, qui sunt termini huius relationis. Officium ergo hominis religiosi est studiosé agnoscere Deum, eiusque attributa; et se ipsum noscere, ut cultus religiosus ab eo ipso exhibitus non sit falsus, et absurdus.

68. Solus Deus, ut pote summe bonus, summe perfectus, summe Dominus, est dignus summa servitute, summo obsequio, et summo amore, ideo que Supremo cultu; hoc tamen non prohibet quo minus Beatam Virginem Mariam,

Angelos Sanctos, et viros Deo carissimos ob virtutum merita, pia veneratione colamus, habentes eos ut Dei amicos et servos, non vero ut Deos, in quo errabant gentiles: Quicumque, ergo, alteri, quam soli Deo summum illum cultum tribuere auderet, magni quidem criminis reus habendus foret, criminis scilicet laesae Divinae Maiestatis.

69. Actus religionis sunt in duplici differentia: nam alii sunt interni, qualis devotio, et oratio; alii sunt externi, qualis adoratio, sacrificium, oblatio, votum, iuramentum.

70. *Devotio* est prontus affectus hominis offerentis se ipsum Deo ad ei serviendum: *Oratio* est desiderii coram Deo explicatio, ut aliquid decens ab ipso impetremus. *Adoratio* est actus internae submissionis, quo testatur dignitas, et excelentia personae adoratae. *Sacrificium*, est actio qua res quaedam externa et sensibilis Deo in agnitionem eius supremi dominii ita offertur, ut certo quovis modo immutetur. *Oblatio* est quodcumque offertur in obsequium Dei, et cu tum ipsi debitum, ut supremo rerum domino. *Votum* est deliberata promissio Deo facta de re ipsi grata. *Iuramentum*, est divini numinis attestatio ad fidem faciendam, promissionemve firmandam.

71. Actus religioni oppositi ad duo capita revocari possunt, ad *superstitionem*, et *irreligiositatem*. Superstitio duo includit vel falsorum cultum Deorum, vel excesum in vero cultu; ideoque falsam religionem ponit pro vera. Irreligiositas comprehendit omne vitium religioni oppositum per defectum. Haec vox Irreligiositas latina non est, sed in frequenti usu apud Theologos reperitur, ea que significatur contemptus Dei vel Sacrorum.

72. Ad superstitionem revocantur Idololatria, divinatio vana, et una vana observantia. *Idololatria* est cultus quo quis aliquid creatum colit loco Dei, seu eo cultu, qui soli Deo debetur. *Vana divinatio* est affectare notitiam rerum futurarum per ea quibus sciri non possunt; hoc que tacita vel expressa daemonis invocatione. *Observatio vana*, est adhibere aliquid, ad rem efficiendam, quod tamen non est institutum ad illius productionem.

73. Sub irreligiositate continentur blasphemia, tentatio Dei, et Sacrilegium. *Blasphemare* est de Deo dicere quod ei non convenit, vel ei adimere quod convenit: In quo derogatur eius divinae bonitati. *Tentatio* Dei eo pertinet, ut verbis vel factis sumatur experimentum, an Deus habeat aliquam perfectionem de qua expresse, vel interpretative du-

bitatur. Sic tam Deum tentat, qui media naturalia á Deo ordinata praetermittit sperans ab ipso Deo eventum; quam qui sponte periculum quaerit á quo liberari non possit, nisi á solo Deo, sperans tamen ab eo liberari. *Sacrilegium* est rem sacram irreligiose tractare, sive rei sacrae violatio sit vel persona consecrata Deo, sive locus, sive sacramentum, vel quaevis alia ad cultum destinata.

74. Sub vitio superstitionis etiam numeratur *cultus* qui vocatur indebitus vel quia *perniciosus* est, veluti, si quis nunc legales ritus mosaycos observaret; vel quia est *inutilis*, et *superfluus*, cuiusmodi sunt caeremoniae, quae neque ex consuetudine, neque ex ulla Ecclesiae sanctione prodierunt, ut his Deus verus colatur. Ad irreligiositatem etiam pertinent errores Scepticismi universalis, naturalismi, politichismi, hyppocritismi, indifferentismi, atque Atheismi, qui longe late que is temporibus á Libertinis promoventur cum magno animorum aestu.

75. *Scepticus universalis* nihil affirmat, nec negat, sed de omnibus dubitat, sic que nec de se ipso asserit aliquid, nec de existentia numinis supremi. *Naturalista*, ita hominis vires extollit, ut vel contendat cum *Pelagianis* naturam humanam per suas vires, et sine gratiae adiumento posse [cog]noscere atque agere ea, quae cognitu atque factu opus est, ut vitam aeternam consequi possimus, vel cum *Deistis* asseverat nullam esse religionem revelatam, nec rationem egere auxilio revelationis ut Deum colat, neque aliam esse religionem, nisi eam, quae lumine solo naturae dignoscatur, quam vocant naturalem.

76. *Politichistae* religionem velut commentum Legislatorum respiciunt, perniciosus que eorum error in eo positus est, quod doceant religionem curandam esse non ob aliam rationem, nisi quia reipublicae utilis esse potest, vel quatenus eius usus interest reipublicae. *Indiferentismus generalis* docet hominem salvari posse in quacumque secta; adeo que nihil interesse quod homo sit Christianus, Catholicus, Turcius, aut Gentilis. *Hipocritismus* est religionis externa imago ficta sine animo religioso. Hypocritae ovium pellem induunt extrinsecus, sed intus sunt lupi rapaces, ut de pharisaeis ait Salvator Matthaei 7. versu 15.

77. *Atheismus* est aperte profiteri aut nullum esse Deum aut ita vivere, quasi nullus foret Deus supremus rerum inspector et vindex Ad atheismum pertinent materialismus, idealismus, et pantehismus. *Materialistae*, velut Epicurei, affir-

mant omnia, quae existunt esse substantiam quamdam materialem, et Deos, si qui sunt, nullam rerum curam habere: *Idealistae* unicam substantiam admittunt in hoc universo, hancque Spiritualem: *Pantehistae*, ut Spinoza, fatentur unicam esse substantiam necessariam extensione et cogitatione praeditam, hancque Deum proprié nominari; sic que hanc rerum, universitatem Deum esse.

78. Quamvis atheismus omnem religionem directé subvertat, et Superstitio tantum indirecte, dum falsam religionem ponit loco verae, non dessunt tamen qui contendant deteriorem esse atheismo, eo quod specie pietatis, aut atheismum contineat, aut ducat ad atheismum, sic que incautos fallere possit: Hoc ipsum intendit Tolandi dissertatio inscripta *Adeisedaemon*. Non inficiamur quidem superstitionem ad graviora quidem scelera homines impellere; sed negamus impellere ad omnes; quin potius asseveramus Idolatras universos credidisse Iudicem invisivilem, qui aequa lance demerita perpenderet: At vero, cum hoc sit fundamentale principium mutuae fidei, quae societatem regit, stimulumque ad virtutem; ¿quis sibi persuadere poterit superstitionem, quae hoc fundamentum ponit, ut homines á pluribus criminibus revocet, et permoveat ad plura officia ex quibus permagnae utilitates in rempublicam redundant; quis inquam sibi persuadeat, superstitionem aut continere, aut ducere ad atheismum, qui ad omne scelus viam pandit? Atheus quidem promptus est ad omne malum committendum, modo impune possit.

79. Plurimi ad loquendum faciles, ad efficiendum ineptissimi, ut nostri temporis libertini, omnia ad inane quoddam civilis honestatis idolum accomodant, aut in cive formando intenti, pietatem negligunt, et hominem impium faciunt. Hi, siquidem, non animadvertunt hominum regimen sub duplisi consideratione spectari posse: 1. in ordine politico, sive in genere civilis societatis: 2. in ordine morali, sive in genere moris. Clarissimus Bossuetus, á quo hanc doctrinam hausimus, expresse asserit, quod licet imperium, seu regimen civile in ordine politico, et quo ad iura Societatis humanae non pendeat á Religione, quia in hoc ordine religio et imperium sine se invicem esse possunt; non tamen in ordine morali, quia in hoc moris ordine civile regimen subordinatur religioni, et ab ea pendet. Neque enim boni mores esse possunt sine vero Sacerdotio, sine vera religione, veraque beatitudine, quae morum ac vitae humanae finis est: nec

aliunde homo beatus esse potest, nec civitas, quae nihil est aliud, quam hominum certo foedere coniuncta Societas.

80. Ex quo vero regimen civile non pendeat á Religione, nullatenus conficitur veram religionem humano generi nedum utilem, sed etiam necessariam non esse, quia, ut ante vidimus, ipsa natura nos impellit ad cultum, non qualemcumque, sed verum, et concentaneum Dei creantis naturae, et hominis creati. Delirat ergo Lucretius docens hominem tranquile vivere non posse, dum timet numen scelera puniens; quia Deus more patris optimi ab hominibus religionem postulat, non quia haec utilis aut necessaria sit ei, sed quia utilis et necessaria est hominibus, ut sancté incorrupté que viventes, felices sint. Homines religione soluti nullo vinculo contineri possunt: paenae, quidem extrinsecus inflictae á legibus civilibus timorem ingenerare possunt; sed amorem, et humanitatem nequeunt: Adeo verum est quod Plutarchus dixit, facilius esse gentem sine sole reperiri, quam sine Deo, et religione.

81. Deus unus est, ideo que religio ab eo manans est una, minus igitur accuraté loqui videntur qui religionem in revelatam et naturalem dividunt, cum haec in illa contineatur. Sunt ergo in illa quaedam veritates, quae naturales vocantur, quia earum cognitio humanae rationis vires non superat; sunt etiam aliae quae non nisi ope revelationis supernae innotescere possunt, veluti mysteria et plura praecepta positiva. Ex utrisque veritatibus una et Sancta religio constituitur, qua unus Deus colitur, et purgatissima pietate cognoscitur. Haec est vera illa religio homini tam utilis et necessaria, quae eius intellectum perficit; quae eius appetitum regit ad summum bonum; quae non profitetur generis humani odium illiusque internecionem; quae homines mansuefecit, et alios in aliorum opem excitat, virtutemque in eorum pectoribus gignit.

82. Exercitationis gratia, et ut jam dicta illustrentur, ad haec quaesita respondere conabimur, ¿Estne necessarius cultus tam internus quam externus; et qualis debebit esse?

Q. An cultu interno externoque Deus sit prosequendus?

83. Nonnulli philosophi omnem cultum et venerationem supremi numinis abjeserunt, reprobarunt que, quia cum falsas plurium Deorum religiones cognovissent, quas gentiles pro-

stebantur, et veram non potuissent attingere ut Lactantius significat, (L. 2. divin. institutionum cap. 3.) sine ulla religione manserunt. Epicurus, ejusque sectarii, qui tollebant providentiam de medio, aras etiam evertebant, ut optime ait Cicero (L. 1. de natura Deor. cap. 11.) ¿Qui cultus, quae adoratio, quae preces haberi poterant Deo, qui humana non curat? Qui putabant omnia ineluctabili necessitate contingere, dicti propterea fatalistae, religionem sustollebant, quae nos ad Deum Omnis boni auctorem venerandum impellit. Hos imitantes Deistae quidam nostri temporis omnem divinitatis cultum. Adversus illos hanc damus conclusionem.

84. Deus interno externoque cultu prosequendus est. Probatur Conclusio. Ratio naturalis, atque ipsa experientia nos docent amore, obsequio, servitute, atque magna fiducia eos esse dignos, qui perfectione, ac virtute singulari praediti toti sunt in eo, ut nedum in eorum admirationem nos commoveant, verum etiam suas perfectiones, atque excelentiam ad salutem nostram referant, felicitatem nostram volentes: cum ergo Deus sit ens ita perfectisimum, quo nihil excogitari potest melius, et vita, omniaque nostra veniant ab ipso, simusque sub eius imperio beneficentissimo: relinquitur eum amore, obsequio, servitute, atque fiducia magna dignum esse; ideo que cultu tam interno, quam externo prosequendum.

85. Cumque materia cultus interni devotione, atque oratione contineatur: et Dei cultus exterior perficiatur adoratione, oblatione, rerum sacrarum usu, et virtutum exercitio; facile patet religiosum hominem in affectus erumpere fidei, spei, reverentiae, et caritatis per devotionem: recté orare piis cogitationibus et affectibus, petendo á Deo crebriis gemitibus, quod ab ipso impetraturum sperat, tamquam ab omnium bonorum auctore: adorare eum revererique tamquam Dominium et Principem sui, totiusque universi á quo pendet in omnibus: se offerre sua que in signum submissae subiectionis, ut suae creationis, principio, et fini suo ultimo.

86. Praeterea: cum ratio et forma religionis consistat in amore honoris Deo debiti propter suam excelentiam, quia sine illo amore nullus est actus religionis, nec veri cultus; sic Deus cuncta in homine formavit, ut apta essent ad eum colendum. Et quidem, Deus mentem homini dedit, qua non modó creaturas, sed et Deum in creaturis intelligeret: Dedit voluntatem, qua eum diligeret, non mundum: Dedit memoriam, qua eius beneficia et legem recoleret, legem certé illam,

sine qua felicitas vera haberi non potest: dedit oculos non ad concupiscentiam, sed ad divina opera contemplanda: dedit linguam, non ad vaniloquium, sed ad Dei glorificationem: dedit aures non ut essent maliloquii exceptaculum, sed sermonum Dei: dedit manus et pedes ad subveniendum sibi et populo in Dei gloriam, non ad vim, nec ad vagam vitam. Tota igitur humana vita eo collimare debet, ut ab omni peccatorum labe pura, Deus ab hominibus glorificetur, animi et corporis viribus, quia totus homo á Deo suo creatore, conservatore, et gubernatore dependet.

Obiectionibus fit satis.

87. Obj. 1. Nullus rex potentissimus, relictis rebus maximis oculos in formicas aut culices defixos est habiturus: cum ergo Deus sit ens potentissimum, felicissimum, et nostri non indigum; nosque cum tanta maiestate comparati, vix simus instar formicarum; facile patet, nec actiones nostras contueri, nec eas expendere, neque cultum religiosum á nobis exigere.

88. R. Humana imbecilitate mensurandam non esse maiestatem divinam, nec comparandam cum regum finita potestate, quemadmodum Epicurei faciebant. Reges quidem minima non curant, non quia ipsorum persona indignum sit minima curare, sed quod hominis unius cura tot rebus non sufficit. Summus quidem ille putaretur rex, qui solus totius regni administrationem gerere posset. Deus autem sicuti omnia maxima, ita etiam minima, creavit, contuetur, atque gubernat absque ullo labore, et molestia; vestigia que luculenta suae potentiae, sapientiae, bonitatisque nobis reliquit, atque adeo cultum exigit in agnitionem eius supraemii dominii.

89. Obj. 2. Ex summa Dei maiestate supremoque in creaturas dominio nequit cultus necessecitas derivari; namque ex divina maiestate, supremoque dominio non alii possunt sensus excitari quam timoris et terroris; nec vita hominum tranquila esse potest dum per omnia nihil aliud inspectat, nisi molestum et iniucundum numen vitam hominum circumspiciens, atque puniens: nisi ergo homines liberi sint ab omni reverentia, et metu supremi numinis beate vivere non possunt, quemadmodum post Lucretium aiunt Baelius, Volterius, Rousoius alisque huius generis libertini.

9.. R. quod, cum cultus divini non parva commendatio

sit, quod summam voluptatem, adeoque felicitatem afferat, homines religiosi laeti vivunt spe futurorum bonorum, et alacres in adversis, quia Dei Maiestas non more tyrannorum gubernat omnia ad suam utilitatem referens, sed more Patris optimi, qui eos amat, et veré felices esse vult. Qui vero propter sua flagitia timent, satis causae habent, ut miserrimae mortis expectaculo angantur, quia nullum praesidium spectant, ab eo supremo numine quod contempserunt, aut substulerunt de medio, ut liberius viverent, ut Baelius, Volterius, Rousoius, aliique libertini. Conscientiae ergo malae vitae vis non infringitur, nec terror inde exortus, nisi, relictis vitiis, virtus colatur, vitaque ita sit instituta, quod Deo grata esse possit.

91. Obj. 3. Deus qui cor hominis contuetur, eos tantum adoratores approbare videtur, qui eum in spiritu et veritate adorant; at vero sic eum non collere illos constat, qui externis signis et ritibus colunt: ergo cultum externum velle nequit Deus.

92. R. Quod exterior Dei cultus et adoratio, quae non sit cultus interioris signum gratus esse non potest, quia externus cultus sine interno nec nomen cultus meretur. In spiritu adoramus, cum intentio est pura, rectaque voluntas: in veritate vero, cum cultus noster vacat omni errore, Deusque colitur ut ipse coli vult. Cultus ergo mere externus ab internoque seiunctus, nec consentaneus est naturae Dei excellentissimae, nec nobis prodesse potest, quia non est in spiritu et veritate: qui adorat in spiritu, adversatur carnis cupiditatibus: qui colit in veritate, erroribus se opponens, Deo á quo in corpore et spiritu pendet, ingratus non est, nec homines imponere vult sub larva pietatis, praeces, ex formula recitando, sine desideriis, piisque cogitationibus.

93. Obj. 4. Quilibet cultus humanus, ut pote finitus, proportionatus non est infinitae Dei maiestati, quae sibi sufficientissima, non indiget cultu humano, maximae cum hic sit indignus: ergo nullo cultu prosequendus est, praecipue cum ipsi tam internae quam externae necessitates nostrae pateant.

94. R. Falsum esse cultum humanum Deo indignum esse, propterea quod sit finitus: si ergo nulla est proportio entatis inter finitum et infinitum, est tamen ordinis proportio; quia cum Deus sit causa et principium omnium, earumque finis, maxime rationalis naturae, omnia referenda sunt ad illum. Deus etiam cultum praecipit, non quia illo indiget, sed quia

est supremus dominus: postulat religiosum cultum non ob suam utilitatem sed ob nostram: *nobis enim prodest colere Deum, non ipsi Deo*, ut ait S. Aug. (quaest. 3 ad paganos). Praeterea, licet Deus nullum cultum praeciperet, deberemus eum colere ob suam excellentissimam naturam, ob infinita eius in nos beneficia, ob supremum eius imperium, ob nostram ab illo derivationem, sine qua nec intelligi, nec esse possumus. Patent Deo nostrae necessitates, sed compellit nos petere, quaerere, et pulsare, quia vult filios suos exercere desiderium suum in orationibus ut possint capere, quod praeparat illis dare, ut loquitur August. epistola ad Probam.

Scholion.

95. Quamvis homines natura sua ad religionem et cultum Dei sint comparati; et ratione duce possint adhibere signa quaedam nec indecora, nec indigna maiestatis divinae ad Deum colendum: at solo rationis lumine detegere nequit quem cultum externum Deus elegerit. Et si enim Deus inter principia iuris naturae, legem cultus debiti praescripsiset; tamen falsis opinionibus, et pravis affectibus dediti homines, ita eam obscurarunt, ut ad lumen illud rationis signatum super se non attenderent, et iustitiae regulas omnino negligerent. Quo factum ut nemo fere circa Dei cultum non errasset. Oculis et animo lustremus populos omnes; quamtumvis opibus et imperio praestantes; quamtumvis disciplinis omnibus perpolitos: Nihil aliud reperiemus, nisi incommunicabile Divinitatis nomen rebus creatis tributum. ¿Ignorato autem vero Deo, quae veri cultus haberi notitia poterat? Sic Graeci altaria discordiae et invidiae consecrarunt, ut Romani morbis animi et corporis. Aegyptii brutas animantes colebant. Furor iste Philosophos ipsos pervasit. Hanc generalem depravationem solus Deus tolere potuit, per novam suae legis promulgationem, quam *Revelationem* appellamus.

Observatio.

96. Ex quo solo rationis naturalis lumine determinari non possit in quonam consistat cultus, qui Deo placeat, tantaque maiestate dignus sit; legitima colligitur consequtione necessitas alterius luminis ad cultum Deo debitum, et in genere á lege naturali prescriptum. ¿Quid ergo erit de aliis veritatibus, quarum cognitio permagni interest hominibus, et ad

quas ratio naturalis non pertingit, quas que idcirco ordinis supernaturalis, proprie vocamus? Nihil enim magis necessarium homini, quam cognitio suae naturae; originis ex qua prodiit; finis ad quem tendit; causae illius pugnae intestinae partis inferioris et Superioris animi nostri; medicinae nedum huic luctuoso malo perquam necessariae, immo ad quotidana peccata in quae prolabimur: sic que de aliis. Ad haec omnia tollenda dubia, examinare oportet haec quinque capita, ad quae veritates illae revocantur. ¿ Estne, 1. necessaria revelatio ad omnia legis naturalis officia sine errore cognoscenda? ¿ 2. possibilis est revelatio quarumdam veritatum, quae rationem superant? 3. Facta est haec homini necessaria revelatio? Namque non sequitur factam esse, quamquam maxime necessaria sit. 4. Quibus notis vera revelatio dignoscatur? 5. Vbinam haec reperitur?

Quaest. an revelatio sit necessaria ad omnia legis naturalis officia sine errore cognoscenda?

97. Quum Deus quaedam sui vestigia rebus omnibus impresserit, hominisque instruxerit mente, quae in se ipsa gerit divinae illius sapientiae quaedam velut lineamenta dubitari nullatenus potest Deum inter, et homines quoddam commercium intercedere, in quo Deus se homini quodammodo ostendat, et homo eum celebret á quo tot accepit beneficia, suae indigentiae in omnibus memor.

98. Hic igitur homo, qui non ut vivat solum et sentiat, sed ut recté utatur sua ratione conditus est, á rectitudinis tramite deflectit, ut quotidiana experientia docet, quia sui ipsius regula esse non potest. At vero, á Deo optimo maximo tributa esse omnia quae ad veram felicitatem consequendam erant necessaria, creatoris beneficentia erga hominem nos dubitare non sinit. Nunc quaerimus an tanta sit mentis humanae acies, ut sine errore semotaque revelatione cognoscere possit omnia legis naturalis praecepta; atque cum hac cognitione ita felix esse, ut non egeat alio superno lumine, quod ipsum certo dirigat?

99. Revelationis nomine intelligimus manifestationem palam á Deo factam veritatum quarundam quibus fidem firmissimam praestare tenemur propter Dei infallibilem auctoritatem. Hae veritates aut sunt ordinis naturalis, aut supernaturalis: supernaturales ille sunt, quae ab intellectu viribus

suis derelicto, nullatenus detegi possunt: naturales dicuntur ille, quae, absolutè loquendo viribus naturae detegi possunt ab intellectu. Hoc posito sit conclusio.

100. Sive rationis naturalis infirmitatem ad omnia legis naturalis officia simul cognoscenda spectemus; sive ipsius legis naturalis insufficientiam ad quasdam veritates permaxime homini necessarias; fatendum est hominem superno lumine revelationis ad utrumque indigere, diversa tamen ratione:

101. Probatur 1. pars bimembris huius conclusionis. Officia quidem legis naturalis ea omnia complectuntur quae Deo, quae nobis, quae aliis debentur: Ad haec omnia officia investiganda, atque certo detegenda sine ulla erroris admixtione, lumen rationis vires non habet in singulis hominum ad quos legis obligatio se extendit; nam experientia quotidiana docemur paucissimos praeditos iis ese adiumentis, quibus investigari possunt illa officia, et cum magna errorum permixtione, ut funesta veterum philosophorum experientia constat. Cum enim permaxime necessaria sit vera notitia divinitatis, naturaeque hominis, ad illa officia dignoscenda, et circa haec; et finem hominis ultimum nulla sit firma fixaque sententia, sed acres disputationes, nisi altioris luminis ope tam magni ingenii, quam parvi collustrentur; omnes in gravissimos errores circa res omnino necessarias prolabentur. Posita autem revelatione, illa aliaque tolluntur insuperabilia incommoda, et absque longa difficili que investigationis via quomodo vivere deceat omnes brevi tempore docentur.

102. Alteram conclusionis partem de insufficientia legis naturae ad dignoscendas quasdam veritates maxime homini necessarias, sic ostendimus. Quilibet homo sibi conscius est, quod licet eius ratio dominatum tenere debeat, patiatur tamen á passionum impetu abripi: voluntatem, quae ad verum bonum naturali pondere tendit, relinquere bonum verum, et apparens falsumque consectari. Maxime autem interest homini scire originem causamque huius corruptionis et contrarietatis, agnoscereque huius mali medicinam. Cum ergo ratio nos haud doceat hoc, etiam si lege naturae instructa sit; ostensum manet eius insufficientia ad detegendas veritates homini maxime necessarias. Praeterea, homo, qui á benefica Dei manu ita corruptus prodire non potuit, quotidie infeliciter in quaedam prolabitur peccata, sive propter naturae suae fragilitatem, sive propter culpabilem ignorantiam, sive malitia diaboli: At vero inspecta Dei bonitate, qua homines felices esse vult, credere compellimur aliquod esse remedium, quo de-

leri queant eius modi peccata, sed illud per lumen rationis certo cognoscere non possumus.

103. Denique: rationis lumine cognoscimus nos Deum venerari debere cultu, non interno solum, sed etiam externo: At vero licet ipso lumine ducti, colligamus ad supremum illum regum Dominum spectare, quibus religionis actibus eum colere debeamus, quemadmodum Principes, Regesque statuere solent quibusnam obsequii signis velint á subditis honorari; tamen absque Dei manifestatione superna, nos latet cultus divini determinatio: igitur ne in rebus tam necessariis fluctuantes similitudinibus rationum facillime decipiamur, nec in varias noxiasque dilabamur opiniones; ut emergere inde possimus, ac liberari, tutius atque consultius est ab illis edoceri, qui Deo duce, et magistro sciunt, quo animo erga ipsum Deum, erga nos, et erga proximum nos esse oporteat.

Objectionibus occurritur.

104. Obj. 1. Veteres recentesque philosophi, semota quacumque revelationis luce, ex solis humanae rationis principiis pura, et Sancta religionis officia complexi sunt, talemque nobis reliquerunt morum philosophiam, ut longe superet eam, quae á plerisque casuistis postea conscripta fuit: ergo ad hoc necessaria non est revelatio.

105. R. Falsum esse veteres recentesque philosophos omni prorsus revelatione destitutos fuisse; nam veteres saltim primae revelationis vestigia habuerunt, licet hominum perversitate obscurata: recentiores vero, quamquam á revelatione se praescindere dicant, tamen ipsa magistra multarum rerum cognitionem habuerunt, quas certe sola ratione duce ignorassent. Hi similes iis videntur, qui postquam á praeceptoribus, quidquid sciunt, didicerunt, videri tamen volunt á se ipsis edocti, ut apposite Werenfeldius monet. Ratio eorum, quibus haec revelatio non praefertur, enormiter á veritate aberravit, qui viam revelationis tutissimam et brevem sequi noluit, aut deseruit, ut Casuistae fecerunt.

106. Obj. 2. Intestinum hominis bellum, tam naturale est quam habere partes dissolutioni corruptionique obnoxias: ergo sola ratione cognoscitur origo pugnae inter partem superiorem et inferiorem animi nostri.

107. R. Quod philosophi varia commentitia systemata excogitarunt ut internae hominum corruptionis causam aliquam

redderent: naturae viderunt corruptionem; sed quia dogma originalis peccati ignorabant, eius origo illis impervia fuit: adeo falsum est pugnam illam intestinam naturalem esse, quemadmodum naturalis est partium ex quibus constat dissolutio. Haec naturaliter ex eo consequitur, quod homo partibus diversis, corpore inquam et spiritu, constet: At vero anima, ut pote simplex, partes sibi contrarias habere nequit, nec Deus infinité bonus et sapiens eam ita condere potuit, ut bonum eodem tempore cuperet et aversaretur, quia ordinis simul et deordinationis auctor esse nequit. Nihil magis videtur rationi adversari, quam dogma originalis peccati: tamen nihil magis incomprehensibile, quam homo absque hoc mysterio, ut ait clarissimus Paschalis (suarum cogitationum 3.)

108. Obj. 3. Nihil magis certum, quam Deum poenitentia placari, atque interno animi dolore: nihil magis exploratum apud omnes, quam Dei bonitas et misericordia, qua vult poenitentibus peccata condonare: ergo ratio hoc absque revelatione attingit.

109. R. Quod revelatione semota incertum omnino est Deum interno animi dolore placari: nulla enim necessitas Deum cogit, ut velit peccata poenitentibus condonare. Si solam rationem auscultemus metuendum fortasse erit, ne sicut humana puniuntur scelera, quaecumque sit reorum poenitentia, ita etiam Deus nulla hominum poenitentia placetur. Bonitatis Dei, simulque justitiae ipsius non levia vestigia videri possunt in his calamitatibus quas perpetimur, etiam si criminum, quae comittimus, nos poeniteat. Hinc Ethnici existimantes Deum non interna poenitentia solum placari, sed externis etiam quibusdam sacrificiis; tamen cognoscere certo non potuerunt, determinare que genus illud doloris, nec sacrificiorum.

110. Obj. 4. Non alia in cultu externo est lex praescribenda, quam aut populi consuetudines, aut imperantium voluntas, ut fidenter tradit Hobbesius: ergo ad hoc revelatio necessaria non est.

111. R. Quod Deus, qui summa veritas est, aequae respicere non potest varias, contrarias, falsas que sententias, quibus innititur cultus internus ipsi debitus, et a quo externus regitur. Pugnat ergo cum Dei natura, cultus in quo non recté de Deo sentitur, aut ex quo ea sperantur bona, quae corporea sunt aut fugacia; aut Dei Sanctitas violatur, veluti ludi florales in quibus ut ait S. Augustinus (epistola 91, alias 202.) non aves, non quadrupedes, non denique san-

guis humanus, sed multo scelestius, pudor humanus sacrificabatur. Hobbesiana absurditas eodem argumentorum genere confutatur, quo Origenes Celsum ad pulverem reduxit (L. 5. contra Celsum).

112. Obj. ultimo. Ius naturae est lex á Deo in cordibus hominum, etiam gentilium scripta: ergo notum esse debet omnibus illis quantum ad principia tam essendi, quam cognoscendi, sic que necesse non est ad doctrinam revelatam recurrere ad naturales obligationes discernendas.

113. R. Quod principia prima legis naturae, utpote cuique obvia, percipi possunt absque doctrina revelata: non tamen conclusiones., quae ex illis principiis per multas consequentias deducuntur, namque in his facile est rationem ipsam falli, et obnubilari. Quae igitur de Deo per rationem haberi potest cognitio legisque eius in cordibus scriptae, sed obnubilatae, muniri quidem indiget, ut doctis et indoctis sit communis, et ab omni erroris labe sit immunis; ac demum ut citius, certius, et facilius habeatur. *Ratio* quidem, sive facultas ratiocinandi omnibus est communis: At vero falsum omnino est *rectam rationem*, quae summo studio comparatur, omnibus esse communem. ¡Quam pauci sunt qui leges morum sua duntaxat ratione duce capere possint! ¡Quam multi sunt hebeti obtusoque ingenio! ¿Ipsi philosophi, quot erroribus foedarunt veritates, quas summo studio et contentione fuerunt assequuti?

Quaest. An sit possibilis, quarumdam veritatum, quae rationem superant, revelatio?

114. Sanctus Augustinus in quodam opusculo, *de fide rerum quae non videntur*, multiplici argumentorum genere refutavit quorumdam pervicaciam, qui fidem divinae revelationi praebere recusabant. His temporibus increduli omnia eliminant mysteria, quia eorum veritas rationis lumine non videatur, quasi Deus humanam rationem quibusdam limitibus non coercuisset. Vtinam, magni illius doctoris vestigia praementes, ostendere possimus quasdam esse divinas veritates, quae licet humanam rationem superent, non tamen ei opponantur. Haec est igitur nostra conclusio.

Posibilis est quarundam veritatum, quae mysteria appellantur, revelatio.

115. Probatur conclusio: Neque ex parte Dei revelantis, neque ex parte hominis est repugnantia ad mysteriorum revelationem, seu veritatum, quae licet rationem superent, cum illa non pugnant. Natura, quidem Dei, eiusque attributa infinité superant nostram intelligendi capacitatem: nihil ergo obstat, quo minus Deus pro sua libera voluntate aliqua nobis manifestet quantum ad eorum existentiam, non tamen quantum ad modum, quo revera existunt. Neque ex parte hominis repugnat, quod vel ex eo solo liquet, quod innumera sunt in ordine naturali, de quorum existentia, certi sumus, licet ignoremus eorum essentiam, proprietates, et connexionem. Posibile ergo est naturam rationalem finitam et limitatam illuminari, sic que perfici per naturam rationalem infinitam, et illimitatam, qualis est Deus. Idea enim limitationis ex se ipsa perfectibilitatem subinfert, quemadmodum illimitationis conceptus infert in Deo ente infinito virtutem perficiendi in omni genere, praecipue cum eiusmodi mentis humanae illustratio necessaria demonstratur.

116. Convenientissime quidem factum est, ut Deus, optimus, maximus, et Sapientissimus mentes hominum illuminet, quia sic ad altiorem finem ordinantur, adiutique desuper, ea cognoscunt, quae supra ipsus rationem sunt posita, discuntque altiora desiderare, quae vitae praesentis statum excedunt. Ex mysteriis religionis revelatae intimius consideratis, homines vehementer excitantur ad internas animi virtutes, in quibus praecipuus Dei cultus consistit.

117. ¿Quis, enim, transfusionem credens originalis peccati, propriamque infirmitatem agnoscens, non confugiat corde contrito ad Deum, ut eius opem imploret? ¿Quis divinae Incarnationis mysterium sublimissimum considerans non maximo amore afficiatur erga nostrum Redemptorem, qui sanguinis sui pretio infinito á Daemonis captivitate liveravit? ¿Quis Divinae gratiae virtutem omnipotentissimam recogitans non erigatur in salutis suae firmissimam spem? ¿Quis non concutiatur salutari timore dum considerat divinae praedestinationis abyssum, aeternitatemque supliciorum alterius vitae? Nihil igitur repugnans menti humanae, nihil quod mirum in modum non conveniat cum Divinis attributis reperitur in mysteriorum revelatione, adeoque possibilis est.

Objectionibus fit satis.

118. Obj. 1. Mysteriorum revelatio divinae providentiae minus consentanea videtur, ex eo quod religionis finis est cultus Dei: quamvis igitur leges huic maxime prosint, non tamen mysteriorum cognitio.

119. R. Quod homo intellectu, et voluntate pollens totus Deo subditur, et ab eo pendet; atque adeo aequum erat, ut non solum voluntas subiecta esset Deo per legum observantiam; sed etiam intellectus captivaretur in fidei obsequium ea credendo, quae Deus nobis revelare dignatus est. Virtutes animi, quibus praecipue cultus continetur foventur etiam mysteriorum consideratione, uti jam vidimus.

120. Obj. 2. quae rationi á Deo nobis datae adversantur impossibilia sunt: at vero huius generis esse mysteria, vel ex eo patet quod mysteria longe multum mentis captum excedunt, nec ratio naturalis viribus et inquisitionibus suis, ea investigare, nec cognoscere potest.

121. R. Quod vero, solum contrariatur falsum: Cum ergo tam ea, quae recta ratio docet, quam ea, quae Deo pro sua bonitate revelare placuit, verissima sint, non possunt rationi adversari mysteria. Deus autem supremus hominis dominus potuit illum in systemate toto naturae ordine superiore collocare, illi que felicitatem proponere, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, eum ducens per modos rationes que á sua voluntate pendentes, et proinde quae ab humano intellectu pervestigari non possint. Mysteria ergo supra, non contra rationem sunt.

122. Obj. 3. Si mysteria sunt supra rationem, fides nostra erit sine ratione, obsequium fidei nostrae rationabile non erit, nos latebunt mysteriorum rationes, sicque mysteria voces erunt sine sensu. Quod si mysteria cognoscere nobis datum sit, jam non erunt mysteria, nec erunt supra captum. Sic Baelius.

123. R. Quod mysteria tam quoad sui existentiam, quam quoad rationem suae existentiae nos latent, fugiunt que mentis aciem, sed non eodem modo; nam eorum existentia nobis cognita est per fidem statim ac proponuntur; ratio vero existentiae nos latet adhuc postquam facta est revelatio, ratio quidem intrinseca, seu evidentia rei creditae. Assensus igitur, qui misteriis praestatur, non est propter internam eorum claritatem, namque propositiones quibus enunciantur evidentes

non sunt; sed propter externam Dei revelantis auctoritatem qui fallere et falli nescit. Obsequium fidei in credendis mysteriis rationabile est, hoc ipso, quod ea á Deo revelata fuisse ostenditur.

124. Obj. 4. Veritates religiosae proportionatae omnibus debent esse, respondere naturalibus eius facultatibus, hasque explicare; quia Divina sapientia unicuique secundum modum suae naturae providet ad ultimum finem consequendum: at vero mysteria proportionem hanc non servant, neque enim homo ex conditione suae naturae habet mysteriorum cognitionem. Praeterea cum animalia ex principiis naturalibus suos consequantur fines; videtur, hominem illis perfectiorem, mysteriorum cognitione non indigere ad finem suum consequendum; maxime cum perfectius sit, quod per se ipsum, et absque alterius adiumento potest finem suum consequi.

125. R. Quod homini, ex conditione suae naturae, perfecté providetur, 1. quia ei dantur principia sufficientia ad finem illum consequendum, qui est in potestate naturae: 2. quia ad finem supra ipsius naturam positum, et ad quem Deus gratiose ordinavit, ut supremus eius Dominus, dantur etiam ex Dei beneficentia principia ex qaibus homo fit capax eorum, per quae ad finem pervenitur supernum. *Dedit*, enim, ab initio hanc homini facultatem; sed omnes in illo amissimus, in quo omnes peccavimus, ait S. Prosper (respons. 8. ad capita Gallorum). Licet igitur homo fide et gratia indigeat ad finem suum nobiliorem consequendum, perfectior est ceteris animalibus, quae ad finem solum naturalem tendunt. Qui ad perfectam sanitatem pervenire non potest nisi per auxilium medicinae, melioris conditionis est, quam ille, qui semota medicina consequi solum potest imperfectam sanitatem.

126. Obj. ultimo: Ex hoc ipso, quod mysteria sint supra rationem, rationi contraria esse recte colligitur: Si enim supra rationem sunt, rationi consentanea non erunt; quod autem rationi conforme non est, cum ipsa pugnat; quemadmodum, quod veritati consonum non est, ipsi adversatur. (Sic Baelius)

127. R. Quod cum dicimus mysteria consentanea non esse rationi, sensus est, quod sunt ordinis diversi et altióris, non vero quod rationi opponantur, sicuti veritati opponi dicitur, quod ipsi consentaneum non est. Inter esse con-

sentaneum rationi, et ipsi rationi oppositum medium quoddam intercedit, nempe ordinis esse diversi: At, inter esse verum vel falsum, medium nullum intercedit. Mysteria, rationem non adiutam, excedunt, quia sunt altioris ordinis sed non pugnant cum illa, quia Deus auctor est utriusque luminis. Si cui idiotae homini veritates quaedam philosophicae proponantur, hae rudi eius rationi consentanea non erunt, ast si eas falsas esse assereret, quia eas capere non potest; maxime amens dicendus foret.

Quaest. Factane sit necessaria illa homini revelatio?

128. Quem admodum, Deus optimus, supernam revelationem diu negavit pluribus populis et nationibus, et adhuc non nullis denegat; sic toti generi humano, culpa originali inflecto, potuit illam non concedere: igitur ex quo illa necessaria sit homini, non recte colligitur ex hoc solo eam factam esse; sed potius á divino beneplacito pendere. Existentia quidem revelationis, quatenus, refertur ad factorum genus, ab alio quovis facto non differt: Vt autem de illa habeatur certitudo, expetendae non sunt metaphisicae, aut matematicae demonstrationes, quia facta non demonstrantur, sed testibus fidedignis probatur, eorum veritas, ita ut nulla maior haberi posit, nec desiderari certitudo. Cavillationes, recentium Incredulorum, qui omnia ex mentis suae imbecilitate dimetienda esse volunt, nos refellere hic conabimur pro modulo nostro.

129. Finis revelationis est rationem adiubare et perficere, ut illius ope certitudinem assequatur circa multa, quae permixta erroribus agnosceret, vel quae probabilia tantum ipsi fuissent, vel quae rationem superant, et nullatenus cognosceret sibi relicta. Res igitur revelata et hominis necesitati consona esse debet, dignaque Deo. Erit Deo digna, si quae ad Dei naturam, et cultum ipsi debitum, pertinent, non subtilitatibus doceat, sed dogmatica ratione, plenaque auctoritate: hominis necessitatibus opem ferens erit, si homini suam originem et propagationem ostendat, causamque suae internae corruptionis, medicinam exhibens, ut plene beatus esse posit. In eo etiam, qui nomine Dei loqui, ait, necesse est, quod adsint signa miraculorum, et prophetiarum cum verae doctrinae praedicatione. Vis futura praevidendi, et ea faciendi

quae supra spem vel facultates operantis sunt, Dei solius esse potest, qui mira haec et insolita non facit ut homines ludificetur, sed ut eos in veritate confirmet. His positis hanc damus conclusionem.

130. Deus defacto cum quibusdam hominibus, ut alios ipsi edocerent, locutus est. Ne multitudine rationum aequae solidissimarum, quae hanc veritatem patefaciunt, obruamur, sumamus Moysem qui anno 2513 ab orbe condito in monte Sinai cum Deo locutus est, ab eo que recepit, quidquid postea litteris consignavit. Hoc facto stabilito prono alveo fluunt ex illo alia, divinitasque utriusque foederis veteris, et novi testamenti; Legis Scriptae, et Gratiae. Res ita se habet.

131. Gloria Dei montis vertice insidet: et ut populus, qui santificatus, et praeparatus ad eius accederat radices, maiori Dei metu, et religione perceleretur, Deus montem replet fumo, fulgoribus, tonitruis, terrae motu, et buccinae clangore, vocavitque Moysem, locutus que est Dominus, dicens: » Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra » Aegypti, de domo servitutis: non habebis Deos alienos: » non adorabis, neque coles sculptile: ego sum Dominus Deus » tuus fortis, et Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios,.... » faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, et prae- » cepta mea &c..... Cunctus autem *populus videbat voces*, et » lampades, et sonitum buccinae, montemque fumantem, et » perterriti, ac pavore concussi, steterunt procul...... Dixit prae- » terea Dominus ad Moysem: Haec dices filiis Israël: Vos vidis- » tis, quod de Coelo locutus sum vobis &c. (Ex. 20. et » 5. Deut.)

132. Huius facti certitudo talis est, ut de ea nullatenus queat dubitari, si illud diligenter perpendatur: Sensibile, atque tam illustre est, ut non in obscuro loco, sed patenti; coram sexentis hominum millibus, qui adfuerant, et non modo ad verba, sed ad omnia signa sensibilia attendentes, ita persuasi sunt, ut in tanti beneficii memoriam quotannis festum Pentecostes celebrarent, ut constat ex Hebraeorum Calendario. Populus iste pervicax, á quo Moyses multum querelarum, oblocutionum, et injuriarum invicta patientia sustinuit, numquam reclamavit, nec dixit veritati non consona retulisse Moysem, cum huius facti aliorumque historiam contexuit, silentio non obvolvens, si humani quid passus est. In dicta montis Sinai narratione nihil non Dei maiestate dignum: Vnitas Dei creantis, conservantis, et omnia moderantis, cultusque ipsi debitus, cum idololatriae profligatione, stabilitur:

amor Dei ipsius super omnia, et proximi propter ipsum, á quo tota lex pendet, et hominis beatitudo, inculcatur. Praeterea, ex quo descendit Moyses ex monte Sinai, facies eius ita per multos annos luxit, ut etiam lucis radios, ex vi sui cum Deo colloquii, é vultu vibraret; atque adeo timerent filii Israel ad eum accedere, nisi velamine faciem suam operiret. ¿ Donum prophetiae quaerimus? Duo praedicta brevitatis gratia ponamus: 1. praedixit eorum neminem, qui iam vigesimum annum expleverant, visurum esse terram Chanaam, exceptis Josue, et Caleb, cuius veritas exitu comprobata fuit: nec efectu caruit alia praedictio, sexto quolibet anno duplam, mesem praeter solitum mesuros in terra promissionis, si septimo quoque anno terram non colerent. Hanc legem sancte custodierunt Israelitae, nec illis defecit annona in septimo illo anno.

133. Vir iste spectatissimus, vilitatis nescius, pietate, religione, integritate cumulatissimus, cuius quidem scripta iis animi dotibus undique redundant, spiritu etiam Dei aflatus, homines docuit quaecumque gesta fuerant á mundi crepundiis ad suam usque aetatem: mundi creationem, Nemrodii imperium &c. Haec autem, aliaque ita conexa sunt cum ritibus, solemnitatibus, atque tota Iudaeorum historia, ut ad eius veritatem, auctoritatem, et antiquitatem nihil desiderari posit. Iudaeorum populus post tot calamitates, in omnes ferme orbis regiones diffusus, etiam cum vitae discrimine veritatem, divinitatemque Librorum Moysis, servat sustinetque. Populus iste omnibus invisus, et praecipué Libertinis Regni Gallisrum, nunc cum iuribus civitatis sedem in urbe eius primaria Luteria tenet cum suae religionis exercitio, religionis quidem quae intime connexa est cum Christiana religione; licet in hac profiteamur iam ventum Messiam, quem venturum spectant. Ex utraque id apparet, Deum mundi conditorem fuisse Magistrum Adami, Patriarcarum, Prophetarum et Apostolorum, Ecclesiae que catholicae quae ad finem usque in hac fide perseverabit Deum defacto cum quibusdam hominibus allocutum fuisse.

Objeccionibus fit satis.

134. Obj. 1. Essentialiter falsa dicenda est doctrina quae superstructa non est super dogma immortalitatis animorum, et praemium aut vindictam aeternam non docet: Moyses autem nusquam animorum immortalitatem docuit, quae conso-

na est naturae hominis, nec de praemio aut poena aeterna verbum habet: falsa igitur est eius doctrina, nec á Deo revelata.

135. R. Quod versus 26, capitis 1. Genesis, ubi legitur faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, tollit é medio speciosam Volterii rationem in Dictionario eius philosophico contentam: namque illa imago vera Dei in homine non est secundum corpus, sed secundum animam: quia sicut Deus est ens incorporeum, spirituale, indivisum, et immortale, ita mens, incorporea simplex, spiritualis, et immortalis est. Retributio autem sin minus expressa, saltim implicita continetur, quatenus retributiones ille temporales praefigurabant spirituales atque aeternas. Hinc S. Paulus ad Haebreos 11. de Antiquis Patriarchis loquens, ait eos coelestem patriam apetivisse. Genesis etiam 15. v. 1. dixit Deus Habrahamo: *Ego ero merces tua magna nimis.*

136. Obj. 2. Deo digna nequit esse doctrina, quae cum eius maiestate pugnat, et ut illi indigna contemnitur etiam ab Ethicis veluti Plutarco, á pluribus veterum inter quos commemorantur Tertulianus Lib. 5. adversus Marcionem, et Origenes Homilia 7. in Leviticum, et praecipue ab huius aevi Incredulis: talis autem est distinctio illa mundorum animalium et immundorum quae Moyses praecepit cap. 11. Levitici: ergo digna Deo non est, nec revelata.

137. R. Sapienti aeconomia Deum praecepisse immunda animalia á mensis arceri Populi Israélitici veluti prudentissimum consilium exercendae continentiae, ut frenata gula, facilius ad ieiunandum Deo formaretur: asuefactus quidem paucis, et minime noxiis, minor illi ocasio erat ad Dei legem violandam. Origenem et Tertulianum contempsisse Moysis doctrinam, falsum est.

138. Obj. 3. Qui humana sacrificia praecepit á Deo inspiratus esse non potuit: Moyses autem Levitici 27. v. 28, haec sacrificia praecepit cum dixit, *Omne quod Domino consecratur sive homo fuerit, sive animal*; quod vero *consecratio* hic idem sit ac *Sacrificiam* ex versu 29. sequenti colligitur: ibi namque habetur, *Omnis consecratio: morte morietur.*

139. R. Humanas victimas hebraeis fuisse vetitas clare colligitur ex cap. 22. Deuteronomii; Versu 29. et Sequentibus: quare nomine mortis Versu 29. Capitis 27. Levitici non sumitur mors proprie dicta, sed sensu latiori, ut significetur rem Deo consecratam verti non posse in profanos usus: ait siquidem Moyses, *Omne, quod Domino consecratur, sive ho-*

tio fuerit, *sive animal*, *sive ager* : sicut agri consecratio designat perpetuam agri addictionem cultui divino, ita hominis consecratio nihil erat aliud, quam perpetua eius designatio cultui. Occisio Agag regis Amalecitarum non fuit sacrificium, sed iusta eius scelerum ultio, ut patet ex cap. 15. Libri primi Regum. Factum Iephte, qui filiam suam Deo immolavit, non eodem modo explicatur ab Interpretibus: multi eorum gravissimi, nomine immolationis intelligunt, fuisse Deo dicatam cum nuptiarum prohibitione. Alii arbitrantur in holocaustum Deo fuisse oblatam, sed hoc factum veluti temerarium condemnant.

140. Obj. 4. Ex quo populus Iudaicus omnino incultus fuit, et Moyses in arte Aegyptiaca versatissimus, colligunt suspicacissimi huius temporis increduli, miracula quae de Moyse narrantur fuisse ab eo conficta consensiente populo: ergo non fuit á Deo inspiratus.

141. R. Quod miracula sunt facta sensibilia, et ad eorum obtinendam veritatem non requiritur nec ingenii sagacitas, neque in rebus metaphisicis exercitatio: namque sufficiunt oculi, ora, et manus; quare sine ullo fundamento suspicantur increduli haec facta sensibilia et publica potuisse á Moyse confingi, qui sua sinceritate ductus tam bona, quam mala eiusdem populi retulit, quin nullus fuerit inventus in tanta hominum multitudine, qui aut naturali garrulitate, aut veritatis amore, aut odio Moysis, aut aliqua pasione secretum non prodierit, si aliqua fraus contexta fuisset.

142. Obj. 5. Par non est Iudaeo in sui gratiam scribenti fidem adhibere, nec testibus eiusdem gentis, pro cuius amplificanda gloria Moyses suam historiam consarsinavit: ergo cum Deo locuutus non est.

143. R. Quod cum agitur de cognoscenda gentis alicuius historia, quaerenda non sunt monumenta ab exteris, sed necessario confugiendum est ad ipsam gentem, nisi causae sint legitimae eos reiiciendi: populus autem Iudaicus á ceteris gentibus segregatus, ne illarum commercio corrumperetur, non est unde suspectus haberi possit: repugnat quidem totum Iudaicum populum conspirasse ad stabilienda facta, quorum falsitas ipsi innotesceret: Pugnat profecto Iudaeos accepisse tot leges ipsis duras, ac vix tolerabiles ab impostore sibi cognito, ipsique permittere quod ea potiretur summa auctoritate, ut varias familias infamaret, et pro levibus peccatis poenam capitalem descerneret. In tam longa saeculorum serie pugnat gen-

tem numerossisimam tanti silentii tenacem, si quae fraus in Moyse fuisset.

144. Obj. 6. Magi Aegiptiaci miracula quaedam edideruni: cum autem isti nulla Dei virtute fecerint; potuit Moyses eadem vi miracula suadere. Mare rubrum potuit transire in refluxu aquarum, et populo persuadere id Dei virtute factum: Hanc rem sic explicat Josephus hebraicarum rerum peritissimus, profertque simile exemplum Alexandri magni dum mare Pamphilium transiret per angustum litus, quo tempore aquae refluerent, quodque militum vulgus credidit factum vi Iovis Ammonis.

145. R. Quod magi postquam tria priora miracula fecerunt, aggredientes ad quartum, non potuerunt, coacti que sunt fateri, *digitus Dei est* hic. Deus permisit illa priora ut ex comparatione potentiae divinae, et diaboli, manifestius appareret, quantum deciperentur Aegyptii praestando Daemoni cultum divinum, qui soli creatori coeli et terrae debetur. Dum Moyses transiit mare rubrum aquae instar montium hinc inde steterunt, quod in refluxu non contingit: praeterea omnes Criticae canones vetant fidem praestare Josepho qui circiter quindecim saeculis posterior fuit Moysi Scriptori Coaevo, et ipsis Iudaeis, qui huius eventus monumenta servarunt.

146. Obj. 7. Noemus post diluvium habitavit in Asia; si diluvii aquae totam tellurem cooperuerunt: si reperiuntur insulae animantibus plenae, ut America, quae longissime distant á continente: ¿ unde discemus ad eiusmodi insulas bruta minime aquatica devenisse ?

147. R. Insulas nunc á continenti dissitas, fuisse antiquitus coniunctas, quaemadmodum de Sicilia memorat Iustinus; et deinde vel terrae motu, vel Occeani tempestatibus disiunctas. America Asiae coniuncta censetur in extremis Tartariae finibus qua ad mare Japonicum vergit. Nihil etiam prohibet navigiis ea bruta fuisse vecta.

148. Obj. ultimo. Moysis Daemon potentior fuit magorum daemone, adeoque maiora fecit prodigia quae magorum Daemones non potuerunt: igitur non est locutus cum Deo.

149. R. Quod cum Moysis miracula unicé tenderent ad evertendum Daemonis cultum, prorsus ineptit, qui dicit facta á Daemone ese. Eo etiam tendebant Moysis prodigia, ut ostenderetur supremi Dei potentia et divinitas; et ideo digitus Dei, quocum ille loquebatur, magnificatus est.

Quaest. quibus notis vera revelatio á falsa discernatur?

150. Cum ipsa rerum creatarum universitas manifestet Deum quaerendum esse, et ei serviendum; certe constituta est, á Deo quaedam via, qua tam docti, quam indocti ad ipsum Deum attollantur tamquam ad veritatis, et bonitatis fontem inexhaustum. At vero, ex quo nemini mortalium facta sit potestas suam religionem cudendi, necesse est, ut rationem praecedat auctoritas, quae signis quibusdam fixis innixa, homines permoveat ad Dei salutarem notitiam habendam. Ex historia compertum habemus pluribus legum latoribus solemne fuisse incautos populos decipere coelestis revelationis praetextu. Fraudibus impostorum via preclusa erit, omnemque errorem declinavimus, si proferantur in medium notae sive characteres, quos infinita Dei bonitas nobis suppeditavit ad eorum dignoscendam missionem per quos, tamquam per suos ministros nos docere voluit de rebus ad salutem pertinentibus. ¿Quaerimus nunc, quibus notis vera revelatio á falsa secerni possit? Incunctanter hanc damus conclusionem.

151. Externae omnibusque facile perviae notae ad secernendam veram revelationem á falsa sunt duae praecipuae miracula scilicet et prophetiae.

152. Probatur conclusio. Nihil indulgentius, nihil liberalius, nihil aptius ad homines docendos fieri á Deo potuit, quam ea adhibere signa, quae in omnium sensus incurrerent, ut inexcusabiles habendi sint, qui agnoscere nolunt clariores notas, quibus Deus miro quodam et insolito modo se conspiciendum praebet: notae autem illae sunt miracula, et prophetiae, ut ex earum definitionibus apparet: nam miraculum est, omne id quod fit tam supra vires eorum, qui miracula agunt, quam earum rerum in quibus miracula edunt; prophetia vero est earum rerum praedictio, quae neque á causis naturalibus, neque á praesenti rerum statu praevideri possunt: cum ergo solus Deus totius naturae vires et ordinem praetergrediatur; et ipse solus futura libera et contingentia certo praenoscere possit, quia ipse solus ea ab aeterno praedefinivit in suis causis liberis: facile patet miracula et prophetias esse notas praevias quibus facile discernatur vera revelatio ab impostorum fraudibus. Deus, enim, qui summa veritas est, vult nos per haec signa certos fieri de divina revelatione, et simul in veritate confirmari per haec suae divinitatis sigilla.

153. Obj. 1. Hoc ipso, quod miracula sunt tam insolita, et praeter naturae ordinem, incredibilia prorsus videntur; nec viri prudentis est fidem adhibere tot prodigiis, quae ubique iactantur, et quibus via tot prodigiis aperitur, quibus vafri quidam homines usi sunt ad credulorum augendum numerum, ut supervacaneum sit exempla plurima in hanc rem afferre.

154. R. Profanos Scriptores plurima portenta narrare, quae superstitionem fovebant, quae nihil utilitatis habebant; quae nullo certo auctore dispersa, hominum credulitate, vim, et incrementum acceperunt; sic que in illis fides, diligentia, judicium, et sinceritas desiderantur: qua propter notae verae revelationis non possunt esse: Haec cautos nos reddunt, ne nimia credulitate peccemus. At vero de iis dubitare non possumus quae oculati testes, fide, et sanctitate insignes, veritatis amantes, et ab omni cupiditate alieni referunt, ut publicé, et coram innumerabili hominum multitudine gesta; quique testimonium suum cruoris effusione obsignarunt. Miracula ab iis enarrata eo tendunt, ut virtus ipsa, pietas que vigeant; ut servetur lex á natura animis incisa, neve scelerati de criminum impunitate sibi blandiantur.

155. Obj. 2. Vis miracula patrandi est gratia gratis data, qua quis in malum finem abuti potest: igitur ex miraculis veritas revelationis comprobari nequit, sic que non sunt nota qua discernatur vera revelatio ab imposturis improborum.

156. R. Miracula non semper fieri, ut demonstretur gratia et Sanctitas eius per quem fiunt; cum possit contingere, ut is ipse non sit iustus: id tamen negamus fieri posse vera miracula in confirmationem falsae doctrinae, illius, qui falsam doctrinam annuntiat, quia si Deus testimonio suo mendacium confirmaret, ipse nos deciperet, quod repugnat quia Deus est sume verax, et non potest esse testis falsitatis.

157. Obj. 3. Deus quamtumvis verax permittit quandoque ministros sacramentorum male uti potestate sibi ab ipso concessa ad sacramenta conficienda: sinere igitur potest, ut homo in confirmationem erroris detorqueat facultatem sibi adhibitam miracula patrandi.

158. R. Diversam esse ratiorem inter utramque potestatem: licet ambae á Deo sint; tamen abusus ministri in conficiendis sacramentis non refunditur in ipsum Deum, quia sacramentorum virtus a ministri Sanctitate non pendet, sic que

abusus soli ministro nocet, non aliis: potestas vero miracula patrandi tam propria est Dei, ut quidquid miraculo, facto per suum ministrum, confirmat, id ipsum tamquam suum agnoscit, sic que error in ipsum merito refunderetur, qui sigilo suo permitteret homines in errorem duci. Ex quo apparet, quod alterutrum horum fiet, ut non permittat errorem doceri á pravo ministro, quo tempore miraculum patratur; aut illi facultatem non conferet miracula patrandi.

159. Obj. 4. Si tot olim facta sunt miracula, cur hodie nulla pene conspicimus: ergo signum verae revelationis esse non possunt, praesertim cum mira, quae solent fieri, esse possint effecta causarum naturalium, eo vel maxime, quod non lateat quo usque vires naturae se extendant.

160. R. Quod mundo nunc credente fieri non desinunt miracula, sed non tam obvia, nec plerumque tam magna, quam olim. Si solita essent, mira non esent: nec cum fiunt, moverent, si mira non essent. Absque miraculis, ad Christi fidem converti non potuissent á S. Francisco Xaverio tot nationes in Iaponia, et Indiis, intra paucos annos, ut fuse demónstrat P. Pardies eleganti Dissertatione de fide, quae miraculis est adhibenda. Nemo quidem determinare potest ultimum gradum, ut ita dicam, virium naturalium; omnes tamen facile vident eas non eo posse pervenire, ut mortuum vitae restituant, ut aquas maris dividant, et muri instar consolident, aut Solis cursum sistant. Nemo audebit dicere quantum ponderis poterit elevare homo robustus; sed omnes minime dubitabunt, eum portare non posse turrim, vel aliud immane corpus.

161. Obj. Quemadmodum Poëtarum figmenta proficiscuntur á vividiori eorum imaginatione, ita oracula Prophetarum non aliam causam habent: ergo divinae revelationis signa non sunt prophetiae, ut ait Spinoza, qui hoc mutuatus est á Montano delirante Prophetas ventura dixisse in Ecstasi, et cordis amentia, ut tradit Eusebius L. 5. hist. cap. 16. (vid. Cant. L. 4. pag. 118.) Quidam etiam Rabbinorum referunt prophetiam ad indolem, sapientiam, et potentiam hominum. (Calmet Prolegomena in Prophetas).

162. R. Quod quamvis Prophetae Ecstasin passi sint, non tamen nesciebant, quod loquerentur. Nemo enim sanae mentis sibi persuadere poterit, vividioris imaginationis ope posse certo praevideri eventus quam longissimé absentes, á libera hominum voluntate, et nonnunquam á solis inscruta-

bilibus Dei Decretis pendentes. Deinde Prophetae nequaquam suo arbitrio loquuntur, sed ex divina voluntate, quia prophetia sepissime futurorum est, quorum solius Domini notitia est.

163. Obj. Non est unde discerni possit vera prophetia ab hominum prudentum coniectationibus, vel ab impiorum fraudibus, vel á vetustis idolorum vaticiniis: ergo non possunt esse signa externa verae revelationis.

164. R. Prophetias facile ab hominum coniectationibus distingui, quando ea quae praedicuntur plane impossibilia videri poterant attentis humanis coniecturis; vel omnino dependent á sola Dei potentia: Doctrinae etiam vitaeque sanctimonia sunt criterium discernendi. Gentilium oracula omnia ambigua, et flexiloqua erant, ut ait Cic. Lib. de Divinatione cap. 56. A vera igitur prophetia, quae utilia, quae magni momenti prodit ad bonum publicum et religionem, abesse debent ambages. In divinis oraculis satis est claritatis pro iis, qui de sua salute laborant solicite; et tantum obscuritatis, quantum sat est, ut humilitatis signa exhibeant. Si quandoque factum est, ut Deus tamquam instrumentis usus est Balahamo, et Caipha, virorum scelestissimorum, tamen haec rara sunt exempla; quibus Deus ostendere voluit supremum in rebus dominium ad populos docendos, reducendosque ad veritatis tramites, secreta sua etiam scelestissimis largiendo, ut ostendatur prophetiam donum esse gratuitum, et infra humanae industriae meritum.

165. Obj. ultimo. Si unum vaticinium reperiatur falsum, cetera etiam in suspitionem merito veniunt, quia non unum aut alterum, sed omnia considerare oportet vaticinia; at nonnumquam eventu caruerunt praedictiones, ut cum Isaias praedixit mortem Exequiae, quae subsequta non est, (Isaiae 38) et cum Ionas Ninive subversionem praedixit: ergo.

166. R. Quaedam fuisse á Deo Prophetis manifestata prout in Divina praedestinatione continebantur, et haec numquam eventu caruerunt. Quaedam ostendebantur prout futura erant ex causarum secundarum dispositione, ut mors Regis Exequiae, quae ex vi morbi certo sequuta fuisset, nisi Deus hunc causarum cursum immutasset; quo sensu vera fuit Isaiae prophetia de morte Regis: non tamen latebat Prophetam Dei misericordia, qua statuerat vitam Regi protrahere. Demum, quaedam non absolute praedicuntur, sed conditionate, ut subversio Ninive, nisi populum poenituisset suorum criminum.

Observatio.

167. A deo verum est prophetiam á Deo solo repetendam esse, ut etiam Aruspices Babylonii ultro faterentur, non hominis sed Dei esse rerum futurarum arcana pandere. (Daniel 2. v. 46.) Ea ducti persuasione omnes populi nihil magis é re sua esse censuerunt, quam legum, et ceremoniarum origines ab ipso Deo repeterent; sed nec eventuum fides suas probabat prophetias, nec defuerunt error, ambiguitas nec dolus in suis oraculis. Apud Iudaeos satis constans est Prophetarum succesio, cuius caput in 1. parente constituitur ab Origine et Clemente Alexandrino, dum ille Genes. 2. dixit, relinquet homo Patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae. Sanctus Epiphanius narrans plusquam 73, Prophetas ponit duntaxat 10 Prophetides. Veri Prophetae quietum placidumque Spiritus Sancti illapsum recipiebant; mente tranquila, cordisque pace fruentes, debita in Deum observantia inducti ad loquendum, Spiritus Sancti ductum sequebantur; et si forte arcana quaedam exprimerent ipsis ignota, sensus expositionem supplices deprecabantur, quemadmodum factum legimus á Daniele. (Vid. Calm. in Proph. proleg; et Duhamelium tom. 2. p. 39.)

168. Quid de Sybilinis versibus acrostichis sentiendum sit, tempus est ut dicamus. Non una est de re hac sententia. Nobis ea arridet, quae asserit eos esse confictos, ut Cicero tradit 2. de divinatione, cap. 54. qui ex diligentia constructionis acrosticorum, eos carpit. S. Paul. ad Rom. 3. v. 1. et 11. illud discriminis ponit inter gentilem, et Iudaeum, quod huic concredita sunt eloquia Dei, hoc est oracula de terra Sancta, et Messia; quod locum non habebit, si in Sybillinis expressa Christi vaticinia continerentur. ¿ Vbi ergo illud privilegium, si Deus iudicia sua Sybilis manifesta fecisset? Quomodó verum erit illud Psalmi 147. v. 9. non fecit taliter omni nationi, nec iudicia sua illis manifestavit? Si qui vero Doctores priorum saeculorum vaticinia illa Sybilis tributa, ut vera sustinuerunt, id eos fecisse arbitramur bona fide; licet criticae artis regulas non agnovissent; quod nullatenus nocere potest solidissimis rationibus, quibus fulcitur doctrina, quam sustinemus. (Alesis Vallem. t. 3. Les élémens de l' histoire pag. 198).

Quaest. vbinam vera revelatio reperitur ?

169. Sive gentilium oracula conspiciantur, sive Mahumedanorum Alcoranum, sive Oralis et Superstitiosae traditionis Iudaicae origo, sive Pseudochristianorum in varias innumerabilesque sectas divisio; illud liquido constat, unamquamque harum religionum iactitare, factam á Deo generi humano revelationem, in ipsius sinu extare cum aliarum exclutione: At vero cum interni, divinae revelationis caracteres tum etiam externi nequaquam illis conveniant: facile patet aliunde quaerendam esse. Aequabilis illa certa, et permanens revelatio á mundi exordio hominibus, Deo caris, facta, per tot que saecula conservata suo digna auctore, hominum que necessitatibus accommoda; tot vaticiniis de rebus maximis referta, insignibusque miraculis fulcita, ibi suam sedem habet, ubi hae notae reperiantur. ¿Quae vero sedes illa ? Quam designat sequens conclusio.

170. In verbis Dei Scriptis, et sine scripto traditis, quae in Ecclesia una, sancta, catholica, et apostolica asservantur, reperitur revelatio hominibus ab ipsa sua origine á Deo facta.

171. Probatur conclusio. Vt fideles instituantur necesse est, quod verbum Dei recipiant, vel ab iis ad quos verbum Dei factum est; vel ab iis ad quos per non interruptam seriem pervenit: dici enim non potest, singulis seorsim hominibus factam esse revelationem, nisi fanatismo, et impietati aditum pandamus: quisque enim se ipsum deciperet putans sibi Deum inspirasse, quod ipse per se excogitasset. Iam vero post tot á creatione elapsos annos usque ad Moysem, per quem Deus legem scriptam tulit, et á Moyse ad Iesum Christum auctorem legis gratiae; imposibile omnino est quod fideles verbum Dei acceperint ab iis ad quos factum est: igitur necessium est illud accipiant ab iis ad quos per non interruptam seriem Doctorum pervenit: Apostoli autem Domini, quodcumque audierunt, á Christo, docuerunt Ecclesias Catholicas, quae constituunt illam unam, sanctam, catholicam, et apostolicam in qua nunc etiam asservatur verbum Dei Scriptum et traditum: Aliunde Pastores et Doctores ab hac Magistra edocti, fideles, pro cuiusque captu, imbuunt doctrina salutari in omnibus orbis partibus; neque ostendi alia societas potest, praeter hanc ubi verae revelationis notae reperiantur; ergo revelatio á Deo homini facta reperitur in verbo Dei scripto, et tradito, quod asservatur in Ecclesia una, sancta, catholica, et apostolica, in qua ut in corpore

sensibili, loquente, perfuso que spiritu illius, qui Scripturas dictavit, resident ius et potestas eas explicandi, eiusque sensum stabiliendi, si quod disidium super illatum sensum suboriatur.

Objectionibus fit satis.

172. Obj. 1. Si in Ecclesia, quae dicitur una, Sancta, catholica, et apostolica esset verbum á Deo revelatum, Deus tam conspicuis eam characteribus discriminasset ab aliis societatibus, ut omnes possent eam cognoscere et ab aliis secernere; sed hoc ita non est, ut patet ex ipsa societatum diversitate, quarum quaelibet in eo est, ut sibi facile persuadeat se habere verbum á Deo revelatum: ergo.

173. R. Deum optimum maximum specialibus characteribus et signis Ecclesiam unam, sanctam catholicam, et apostolicam discriminasse ab aliis societatibus, ut etiam homines rudes, et simplices credere eo facilius possent, quo longius absunt á perceptione rerum earum, quae ad salutem et supernam felicitatem necessaria sunt. Signa autem illa perspicua sunt ipsius unitas, sanctitas, atque apostolicitas. Sic ad demostrationem doctrinae, quam fidelibus docet, sufficit, quod illam habuerit á patribus transmissam, velut haereditatem quamdam per succesionem ab Apostolis per Sanctos sequentes transmissam. Igitur illud est discriminis inter Ecclesiam magistram, et alias societates; quod hae persuaderi sibi volunt habere verbum revelatum, licet hoc non sit quod Prophetae praenunciaverunt, quod Apostoli, á Christo edocti, praedicaverunt, sed quem rationis suae imbecilis ductu quaesiverunt: Ecclesia vero, cuius ortus, et incrementum magno sunt et perenni miraculo, ea tenet, quae Deus ipse docuit se se quodammodo insinuans per verbum incarnatum, et per miracula, quibus sibi ipsi testimonium perhibuit, dum corpus illud religionis constituit, quod unum tantummodo Deum habere potest auctorem.

174. Obj. 2. Omnino durum et inhumanum videtur asserere, tot homines, qui bona fide sectam aliquam, in qua nati sunt, profitentur, non habere verbum Dei, nec posse salutem eternam consequi: ergo vera revelatio non est solum in Ecclesia quatuor notis stipata, sed in quacumque religiosa societate.

175. R. Quod Eclesia catholica toto orbe diffusa, per-

petua, et numquam interrupta, est omnibus cognita; et qui consulto ab ea recesserunt, errorem veritati anteponunt, sicque nihil mirum, quod ab aeterna salute repellantur, veluti fures, quos Apostolus á regno coelorum excludit. Vix etiam ab ignorantia excusari possunt rudes aliarum sectarum, nam nihil est, quod eos retinere valeat, hoc ipso quod noscunt esse separatos ab alia societate multo vetustiori, ac longe lateque diffusa, quae gloria, multitudine, et pastorum non interrupta succesione ceteras excellat. Catechismi eorum, et institutiones ubique aliam esse Ecclesiam indicant, á qua obedientiam omnem excuserunt earum sectarum auctores. Romana Ecclesia, quae remotissimis etiam nationibus lucem Evangelii intullit, vaticiniis praenuntiata est, nobilitata quae totius orbis conversione, miraculis innumeris, martyrum sanguine, et continuis trophaeis de suis persecutoribus per omnes aetates.

176. Obj. Mahumetus in Alcorano praedixit Eslamiticae sectae propagationem, quod vaticinium eventus comprovabit: ergo in Mahumedana secta vera revelatio asservatur.

177. R. Nihil mirum quod Alcoranus sensibus et voluptatibus indulgens aliquibus regionibus sit propagatus; nec ad hoc vaticinium opus erat spiritu prophetico, qui eos comprehendit eventus, qui nullatenus praevideri possunt lumine naturae. Alcoranus iste vi et armis saeculo 7. propagatus suis asseclis prohibet omne literarum studium, cum tamen nihil magis commendari mereatur quam scientia quae cum caritate aedificat.

178. Obj. Idololatricus cultus tempore antiquior est vera Dei unius religione, quae docetur ab Ecclesia una, sancta, catholica, et apostolica: igitur in illa potius, quam in ista societate vera revelatio reperitur. Verisimile quidem non est primos populos rudes, et incultos plus sapuisse, quam posteriores, quorum ratio exuta feritate semper magis ac magis expolita fuit; quemadmodum verisimile non est commodas domus, et magnifica aedificia fuisse inventa ante mapalia, et tuguria. (sic Humius.)

179. R. Quod Humii acuti sophisma statim corruit, si consideremus historiae luce ducti, homines ex terra non prodiise instar fungorum, ut Humio placuit, sed á Deo creatos esse, atque ab eo edoctos coelesti revelatione religionem ipsi Deo debitam.

180. Obj. Ex quo sanguis martyrum semen sit Christianorum nullatenus conficitur Ecclesiam unam &c. asservare

verum Dei verbum: namque in aliis societatibus hominum inveniuntur exempla qui suis cogitatis á Deo pertinaciter adhaeserunt, ut mortem potius, quam aliter sentire voluerint, ut Lucius Vaninius flammis addictus.

181. R. Mirabile non est homines quibusdam opinionibus theoreticis adeo decipi, ut pro illis sustinendis mortem potius obierint, ut accidit Lucillio Vaninio; At vero Apostoli, primique Christi discipuli pro factis sensibilibus et publicis, ad quae sensibus solum opus erat, tot labores, tot aerumnas, tot persecutiones, tot flagela, mortisque, denique, supplicium aequo animo, etiam ipsis optione facta mortem declinandi, si eiurare voluissent Doctrinam tot sensibilibus prodigiis stabilitam.

182. Obj. Clarissimus Ioannes Lokius post sedulam inquisitionem, et sepositis omnium sectarum praeiudiciis, in suo Libro *Rationabile Christianissimum*, id se reperisse scribit, quod tradit Thomas Obbesius in 2. de Cive, scilicet homini Christiano nullum aliud ad salutem necessarium requiri articulum praeter hunc, Iesum esse Christum: cum autem in variis sectis ab Ecclesia Catholica divisis hic articulus credatur, relinquitur veram revelationem extra catholicam Ecclesiam asservari. (Gen. Christ. Theolog. L. 5. cap. 7. t. 2.)

183. R. Quod cum Scriptores Evangelici nihil tam sepe inculcant, nisi hunc articulum, nempe Iesum Christum esse Messiam á Deo per Prophetas promissum, hoc unum intendunt, quod nisi hoc credatur, non possunt alii credi; namque illi creduntur, quia creditur quod Iesus-Christus est Filius Dei missus á Deo, qui nobis doctrinam veram annuntiet; non vero id efficiunt, ut alii articuli excludantur, ut iudicant Lokius, et Hobbesius eo fine, ut religionem Christianam ad purum naturalismum referant, et incautos seducant praeseferentes magnam erga sanctam scripturam reverentiam. In religione revelata id quaerendum est, quod, Deus, qui summa est ratio, nobis dictat, non quod imbecillis nostra ratio sibi relicta assequi potest. Salus aeterna, quae ex religionis observantia pendet, non rationis disquisitioni, est alligata, sed fidei professioni, quam doctis et indoctis Ecclesia proponit. (Vid. Dub. t. 3. in praef. tract. de Ecclesia).

Observatio.

§ 184. Ecclesia illa una sancta, catholica, et apostolica in

qua verbum Dei asservatur non est aliud, nisi hominum societas, qui inter se coniuncti sunt verae fidei professione, sinceraque sacramentorum administratione, sub regimine legitimorum pastorum, cuius caput est Pontifex Romanus. Per hanc, veluti per canalem, derivatur fides in mentes nostras, et optima vivendi ratio á Christo profecta. » Cum omnes » homines naturali instinctu *immortales*, et *beati* esse vellent, » et esse possent; tamen summum bonum praestari homini» bus non potest, nisi per Iesum, et hunc Crucifixum, cu» ius morte mors vincitur, et cuius vulneribus natura nos» tra sanatur." (ait S. Augustinus L. 4. contra Iulianum, cap. 3. n. 19). Religio igitur Christiana divinitus revelata, ac proinde vera, et divina est, quia est illa quam profitetur Ecclesia una, sancta, catholica, et apostolica ubi religiose custoditur verbum Dei traditum et Scriptum, de quo singilatim agendum est peculiari tractatu.

In quaedam Capita et Propositiones tributus.

Caput primum á n. 1. ad 4.

Verbi Dei Scripti eiusque inspirationis notio. Hoc verbum, Sacra Biblia, Pandectae, Dei testamentum appellatur, continet que Vetus, et Novum foedus, quo Deus, viam ad patriam commonstrans, suam hominibus menten significat. Plurimum interest quamdam brevem delibare ideam de antiquitate, genuinitate, sensu, divinitate, versionibus, et canone Scripturarum. Exordium ab eius antiquitate desumentes, dicimus nulla extare aliarum nationum monumenta, quae scriptis Mosaycis sint antiquiora, et gentem Iudaeorum reprobam per infidelitatem ubique portare Codices sacros quadam providentia speciali.

Caput secundum á n. 5. ad 8.

Genuinitatis doctrinam cum Cl. Huetio stabilientes, illam in divinam et humanam genuinitatem partimur, breviter que indicamus libros quorum humana constat genuinitas. Ex quo autem apocriphi Libri cum genuinis pugnant; occasionem sumimus agendi de libris in genere positivé, et negativé apocriphis, in quorum censum veniunt, qui vel nulla pollent auctoritate canonica, vel publica ecclesiastica, vel privata commendatione.

Caput tertium á n. 9. ad 11.

Quid Scripturae sensus sit, exponitur, atque hunc in litteralem, et spiritualem ceu mysticum dividi: rursus litteralem sensum, et proprium, et figuratum esse: Ex litterali proprio firmum semper duci theologicum argumentum, ex altero non semper: idem dicendum etiam de mystico sensu, sive morali, sive allegorico, sive anagogico. Memoriae iuvandae gratia omnes duplici complexit vèrsu Franciscanus Liras.

Caput quartum á n. 12. ad 14.

Verbo Dei non desunt motiva, quae suam divinitatem credibilém faciant, haec que idonea sunt ad infideles convincendos, eos que reddendos dociliores ad illam fidem am-

plectendam per quam catholici Christiani post Ecclesiae propositionem credunt Spiritum Sanctum esse Scripturarum auctorem.

Caput quintum á n. 15. ad 25.

Nulla nunc extant Scripturae Sanctae autographa, sed apographa, et versiones diversis linguis variisque temporibus adornatae. Licet priusquam Alexander magnus Persas domuisset versio quaedam fuerit ex hebraeo in graecum, integra tamen translatio facta non est nisi, quam 300 fere annis ante Salvatorem perfecerunt 72. Seniores ab Eleazaro selecti, et ad Tolemaeum Aegyti Regem missi. Syriaca versione dempta omnes aliae ab Ecclesia approbatae, ut Arabica, Aethiopica, Armena, Illirica, Gothica, et Latina (*Italica* dicta) ex Septuaginta virali prodierunt. S. Hieronymus hebraicae veritati favens, ex illa *novam latinam* versionem adornavit, *quae* cum *Italica* optinuit in Ecclesia usque ad Magni Gregorii tempora: A 7. vero Saeculo una ex ambabus conflata est, quae nunc VULGATAE LATINAE nomine dignoscitur, viguit que per longum saeculorum usum in Ecclesia probata usque ad Synodi Tridentinae tempus, quae illam AUTHENTICAM, et ceteris editionibus latinis praeferendam declaravit: hinc, post hanc Ecclesiae declarationem nulli privato licet novam invehere versionem, nec Vulgatae auctoritati quovis praetextu refragari.

Caput sextum á n. 25. ad 34.

Ad Canonem Scripturarum devenientes, asserimus diu ante Christum fuisse sensim collectos in unum Veteris Testamenti Libros, nec periisse per Babilonicam captivitatem, nec per incendium templi, illamque collectionem fuisse Esdra, cui tribuitur, antiquiorem, et ita digestam á Iudaeis, ut 45 Libri in tres partes distributi 22. hebraici alphabeti litteris responderent. Ab Ecclesiae nascentis exordio usque ad Tridentinam Synodum nulla fuit universalis Ecclesiae declaratio, licet á 4. saeculo deliberare coeperit in Concilio Provinciali Laodiceno circa Sanctorum librorum *canonem*, quia Patrum antiquorum labor ad hoc sufficiens non fuit. Tridentini cathalogo, cum Protocanonici, tum Deuterocanonici utriusque testamenti continentur. Prioritas autem, vel posterioritas approbationis nihil auctoritatis addit, vel minuit libris in canonem contentis. Ex Libris 72. indicis Tridenteni, 45. ad vetus testamentum pertinent, et 27. ad novum.

Caput septimum á n. 35. ad 36.

Quaecumque Sacri Scriptores, quo ad res, et sententias scripsere ex Dei revelatione dixerunt, licet forte necesse non fuerit voces ipsas, quo ad sonum reddere. Nova etiam revelatione haud indigebant ad res, quas viderant vel audierant, licet fuerit necessarius Divini Spiritus afflatus ad scribendum impellentis, qui quidem afflatus nequit esse mera directio, et asistentia.

Caput octavum n. 37, et á 94. ad 145.

Qui prolixam voluerit unius cuiusque Libri tractationem, praeter quosdam de re Theologica benemeritos, qui hanc spartam adornarunt, adest Commentatores praeclarissimos: nobis, singulorum argumentum breviter attingere, sufficit, radicesque, ac obscuritatis exhibere rationes in litteris, quae de Coelesti civitate venerunt.

Propositio prima á n. 38. ad 51.

Scripturae cum veteris, tum novi Testamenti, quo ad eius substantialia, integrae in textibus hebraeo, et graeco ad nos usque pervenerunt.

Propositio secunda á n. 52. ad 66.

Qui libri in nostris continentur Bibliis, sacri sunt, et Divinae auctoritatis.

Propositio tertia á n. 67 ad 83.

Sacra Scriptura haud ita ubique aperta est, ut nulla declaratione externa egeat.

Propositio quarta á n. 84. ad 93.

Iure, ac merito Tridentina Synodus Vulgatam latinam editionem *authenticam* declaravit.

DE VERBO DEI SCRIPTO, HOC EST SANCTA *Scriptura.*

1. Verbi Dei Scripti nomine intelligimus, Libros Spiritu Sancto inspirante conscriptos, quibus continetur doctrina Dei hominibus proposita. Inspiratio est quaedam supernaturalis et divina Spiritus Sancti operatio, qua certo quodam modo dictat homini, quae vult scribi. Haec operatio inmediate afficit intellectum, in quo differt á gratia quae immediate agit supra voluntatem. Congeries Librorum Sacrorum *Biblia* nominatur. Vox graeca *biblion*, quod libellum significat, sumpta est á voce biblos, quae primitus significabat quamdam arborem Aegyptiam *papyrum* dictam, ex qua chartae ad scribendum fiebant.

2. Omne ius Dei scriptum in Sacris litteris continetur, ideo que *Pandectae* hi libri nuncupantur. Solent etiam adpellari testamentum, quo continetur irrevocabilis promissio haereditatis aeternae confirmata testatoris morte, ipsius scilicet Filii Dei. Biblia dividitur in *vetus* et *novum* testamentum. Omnes Libri á viris Sanctis exarati ante Christi adventum ad vetus testamentum pertinent; qui vero vulgati fuerunt post Christum, novum testamentum dicuntur. In utriusque paginis, Deus, hominibus ab ipsius intuitu exulantibus, voluntatem suam significat, mentem aperit, reserat arcana, et viam, quam tuto ad patriam properantes tenere debeant, commonstrat.

3. Plurimum quidem interest brevis quaedam idea de canone, et versionibus scripturarum; de earumdem divinitate, sensu, genuinitate, atque antiquitate. Veteris testamenti Libri variis temporibus scripti sunt, ut populi pervicacis et omnino demersi in res sensibiles, incredulitas, longa saeculorum serie domaretur per miracula et prophetias, quibus oportuit ante muniri veritates revelatas. Ab iis scripti sunt, qui res probe noverant, ut ad posteros praeciosa haec transmitteretur haereditas, et ad nos usque perveniret. Soli Iudaei primaevae suae religionis monumenta conservant, nullumque restat monumentum Chaldaeorum, Aegyptiorum, Graecorum, Romanorum aliarumque nationum, quod Scriptis Mosaicis sit antiquius. Nedum hi, sed etiam alii veteris testamenti Libri cum Prophetarum vaticiniis circumferuntur á Iudaeis per omnes orbis partes, ubi sunt dispersi, quadam speciali providentia.

4. Apposité ad rem hanc docet S. Augustinus episcola

3. ad Volusianum, quod *Gens Iudaeorum* reproba per infidelitatem, á sedibus extirpata, per mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet Codices Sanctos. At si prophetiae testimonium, qua Christus et Ecclesia praenuntiata est, ne ad tempus á nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis profeғatur: ubi etiam praedictum est, ipsos non fuisse credituros.

5. Genuini libri dicuntur á Huetio, qui ab iis auctoribus scripti sunt, quibus tribuuntur, et iis circiter temporibus quibus creduntur exarati. Circa Librorum Sacrorum genuinitatem duplex statui potest, quarum altera sit ex parte Dei, altera ex parte hominum, quibus Spiritus Dei usus est ad Libros conscribendos. Genuinus liber divina genuinitate dicitur, si constet scriptum fuisse ab homine Spiritu Dei agitato, licet ignoretur, quo homine usus sit Sanctus Spiritus in eo Scribendo: Genuinus humana genuinitate appellatur liber conscriptus ab eo cui tribuitur.

6. Ex constante Christianorum traditione ab apostolicis huc usque ducta temporibus apertum est 27 novi testamenti Libros ab iis esse auctoribus conscriptos, quibus tribuuntur. Graecé hos omnes scriptos esse, nihil est quod dubitemus: Docti tamen quidam ab illis excipiunt Matthaei Evangelium et Epistolam ad Haebreos contendentes lingua Syriaca haec fuisse scripta exarata. Non constat humana genuinitas Omnium 45. Librorum Veteris testamenti. Pentateuchum genuinum Moysis faetum esse, perpetua constantique traditione ad nos usque derivata, constat. Maior etiam Psalmorum pars Davidi tribuitur: Magna etiam consentione iudicatur Salomonem Proverbia, Ecclesiastem, et Canticum Canticorum scripsisse. Prophetas maiores et minores auctores esse Librorum, qui ipsis tribuuntur, est omnium Haebreorum traditio. Ceteros autem veteris testamenti libros incerti esse auctoris iudicatur, exceptis duobus primis Esdrae libris, quia Haebraei, et Christiani magna docent consensione, primum esse ipsius Esdrae, alterum vero Nehemiae.

7. De genuinitate divina nobis sermo erit cum de Librorum divinitate agamus. Nunc illud per transennam dictum volumus, Libro genuino apocryphum opponi: Apocryphus autem liber dicitur ille, qui auctoritate caret: multipliciter igitur evenit librum aliquem auctoritate carere; vel quia positive pugnat cum auctoritate, hoc est commendatione; vel quia nihil est quod illum firmet atque commendet. Priore casu dicitur positive apocryphus, sic que censendus est liber

qui licet praeseferat quamdam speciem auctoritatis propter suppositum nomen auctoris, cui tribuitur, continet tamen doctrinam fabulosam, aut erroneam, proindeque in Ecclesia male audit; aut ab ea reprobatur. De hoc Librorum genere loquitur S. Hieronymus, dum epistola ad Letam monet, ut *caveat omnia apocrypha.*

8. Posteriore sensu, *negative* apocryphus appellatur: In hac acceptione apocryphi appellantur Libri nullatenus suspecti, vel quia non pollent auctoritate canonica, vel publica Ecclesiastica, vel auctoritate privata. Sic quidam libri nunc canonici, antiquitus apocryphi dicebantur, quatenus nondum erant pro canonicis declarati. Patrum Libri, licet non gaudeant auctoritate canonica, nihil hominus pollent auctoritate Ecclesiastica. Iam vero Libri non tam solemniter ab Ecclesia approbati, solent aprocryphi vocari. Scripta illa, quae mentito auctoris nomine circunferuntur, quamvis nullam falsitatem contineant, privata carent commendatione, sicque jure apocrypha consuevere appellari. Concilii Romani definitio sub Gelasio Papa vocem apocryphi sumit negative, ut observabit Cobarrubias super caput Sancta Romana discurrens. Vult igitur Concilium, ut Libros ibi recensitos nullus assumat velut Canonicos, nec ad usus Ecclesiae publicos.

9. Sensus Scripturae sententia est, quam verba Sacris litteris consignata significant ex Sancti Spiritus intentione. Duo sunt Scripturae sensus, litteralis scilicet, quem voces ipsae menti subiiciunt, et Spiritualis seu mysticus, quem res vocibus expressae significant. Literalis duplex est, proprius, quidem, quem verba proprié et naturaliter designant; et figuratus, cum verba á sensu proprio transferuntur ad rem aliam significandam propter quamdam similitudinem. Ex S. Augustino de Doctrina Christina Libro 3. scimus id figuraté accipiendum, quod neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprié referri potest. Ipse S. Aug. 12. Confessionum cap. 13. et S. Th. 1. p. Q. 1. artic. 7. docent quod unius eiusdemque loci multiplex sensus litteralis esse potest. Sic illud Isaiae cap. 53. *Generationem eius, quis enarrabit*, intelligi potest de generatione Verbi aeterna, et de temporali, immo et de multitudine eorum, qui in eum erant credituri. (Sacrae Scripturae interpretatio ab Ecclesia, et traditione repetenda est.)

10. Argumenta theologica firmissima ducuntur ex sensu proprio litterali; non vero ex figurato, nisi constet ex aliis

scripturae apertis testimoniis, vel ex Ecclesiae interpretatione, vel ex unanimi Patrum consensu Spiritum Sanctum illud intendiisse. Variae in Scripturis adhibentur figurae velut metaphora, Synecdoche, hyperbata, et parabolae, tunc pios docendi gratia, tunc indignis occultandi mysteria. Sermo parabolae obscurior, ut aenigmatis est, et nisi quis interpretetur, vix intelligi potest.

11. Sensus mysticus triplex est, moralis, allegoricus, et anagogicus. Moralis seu tropologicus dicitur, cum ea, quae ut facta commemorat Scriptura, adhibentur ad mores instituendos. Sic Apostolus 1. Cor. 9. ostendit dignos esse operarios mercede sua ex illo Deuteronomi 25: *non alligabis os bovi trituranti.* Allegoricus habetur, qui refertur ad Christum vel Ecclesiam ex gestis veteris Testamenti: Sic duo filii Abrahae duo testamenta significant per allegoriam iuxta Paulum ad Galatas 4. Allegoria enim aliud verbis, aliud sensu ostendit. Anagogicus est cum ad vitam aeternam referuntur in hac vita gesta, ut sursum nos ducant. Sic Prophaetae piis omnibus futuram felicitatis possessionem saepe praenuntiant, cum Iudaeis polliscentur pacem, opes, et omnium rerum copiam. Cum constat de Spirituali sensu, firmum ducitur Theologium argumentum, ut patet ex citato Apostoli loco, et ex cap. 10. primae ad Corinthios, dum ait, *omnia in figuris contingebant.* His verbis expressé testatur, Exodi historiam futurae plebis Christianae allegoriam esse: Imo Christus Dominus de Moyse loquens, sic ait: *De me ille Scripsit.* Quatuor illos Scripturae sensus duplici versiculo Nicolaus de Lira Complexus est.

Littera gesta docet, quid credas allegoria;
Moralis quid agas. Quo tendas anagogia.

13. Verbo Dei Scripto non desunt argumenta quae suam divinitatem probent; tametsi ea non sufficiant, ut certi simus illud esse verbum Dei, nisi Ecclesiae adsit auctoritas. Prophetae namque, et Apostoli, quibus Deus suam voluntatem aperire dignatus est, omnia prudentiae, probitatis, candoris, et integritatis argumenta praebuerunt, et suae missionis testimonia dederunt indubitata: posteriores revelationes cum prioribus apte conveniunt: Apostolicae Propheticas confirmant, et vicissim: Omnia eo tendunt, ut vitam ad naturae leges exigamus. Vetus testamentum continua populi Iudaici traditione, et Novum populi Christiani conservatur.

13. Ista quidem veritatem Scripturarum sic evincunt, ut humanam habeant saltem fidem persuadendis infidelibus idoneam. Sed apud fideles longe maiori auctoritate pollent Scripturae, et prorsus divinae habentur. Omnimoda haec certitudo ex ipsius Ecclesiae propositione, et declaratione proficiscitur. Per fidem namque credimus Spiritum Sanctum esse illius auctorem, ac verbum Dei esse omne malum vetans, et quod bonum est praecipiens. Singularis Sacrae Scripturae dos est, quod eius dignitas et divinitas cognoscuntur per fidem sine Scriptura, et per rationem ex ipsa Scriptura consentiente omnium aetatum testimonio.

14. Gratia Coelesti adspirante intelligimus per rationem Scripturam divinum esse opus vel ex eo maxime, quod in Scripturis plurima exient vaticinia, quae aliunde prodire non potuerunt, quam á Deo. Coelestem aflatum spirant, nec quid quam mortale sapiunt. Stilus ipse Scripturae omnino Deo dignus; eius veritas, simplicitas, et Sanctitas testantur regio Dei sigillo munitam esse. Admirabilis illa tot Scriptorum Scripturae consentio, et immensa doctrinae ubertas, complectens ea quae ex fide publica aetatis cuiusque constabant, quaeque per consequentes aetates constanti traditione perennata fuerunt, nescio quid divinum habent; sic que convincendis infidelibus aptissima sunt, eosque disponunt, ac praeparant ut ad fidem amplectendam sint dociliores.

15. Textus Hebraicus quo ad Vetus testamentum, et Graecus, quo ad Novum censeri debent ut exemplar, hoc est ut originale Sacrae Scripturae, quia fere totum illud in hebraeo, et istud in graeco exaratum est. Autographum, id est exemplar illud, quod auctor Sacer vel propria manu scripsit vel amanuensi dictavit, confundendum non est cum *apographo*, seu *exemplo*, quod nihil aliud est quam Scriptura inde desumpta, quam vulgus copiam appellat. Nulla nunc extant Sacrae Scripturae *autographa*, sed tantum exempla seu apographa, variae que Editiones, hoc est Versiones diversis linguis, variisque temporibus adornatae. Obscuritas vocum hebraearum, quae ex linguae antiquitate, et brevitate oritur vix illustrari potest alio modo, quam per antiquissimas versiones, quae, ut pote linguae originali viciniores, illius genium conservarunt.

16. Partem Mosaici voluminis in graecum fuisse conversam priusquam Alexander Magnus Persas domuisset tra-

dunt Clemens Alexandrinus, (Libro 1. Stromatum) et Eusebius (Lib. 9. Praeparationis Evangelicae,) subnixi auctoritate Aristobuli Peripatetici, qui fuit Praeceptor Ptolomaei Philometoris. Cum vero haec graeca versio non fuerit integra, et temporum vetustate penitus abolita sit, nunc omnium consensu primas tenet versio illa quam 72. Seniores ab Eleazaro Iudaeorum Pontifice selecti, et ad Ptolomaeum Aegypti Regem missi, adornarunt 300. ferme annis ante natalem Christi Servatoris nostri. De hac Aristobulus peripateticus apud Eusebium, haec tradit: *At interpraetatio integra eorum omnium, quae in lege habentur, adornata est sub Rege eo, qui Philadelphi nomen tullit, á quo maior huic rei adhibita est cura, et studium, rei administrationem procurante Demetrio Phalereo.* Idem patet ex Demetrii Phalerei Epistola ad Ptholomeum, quam refert Iosephus Libro 12. Antiquitatum.

17. S. Augustinus Lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 11. ait: *Qui Scripturas Sacras ex Haebraea lingua in Graecam verterunt, numerari possunt, Latini autem Interpretes nullo modo.* Ex illa celeberrima 70. interpretum versione prodierunt omnes Versiones ab Ecclesia approbatae, (*Syriaca excepta*), videlicet Arabica, Aetiopica, Armena, Illirica, Gothica, et Vetus Latina, quam vocat *Italam* Augustinus, *communem* Hieronymus, *Veterem* Gregorius, *Vulgatam* Orosius.

18. Post 70 Interpretes non modo Catholicae Ecclesiae usu consecratos, verum etiam Evangelicis Apostolicisque Literis, adeo Hebraicae veritati favit S. Hieronimus, ut non dubitarit novam Versionem ex hebraicis fontibus instruere: *Cuius literatum laborem Iudaei fatebantur esse veracem,* ut testatur S. Aug. L. 18. de Civitate Dei. Doctor iste Egregius, qui parum Hieronymo aequus videbatur initio propter Septuaginta auctoritatem, postea Sententiam mutans, universim decernit cuivis interpretationi praeferendum textum originalem: Sic L. 15. de Civitate Dei cap. 13. hanc regulam praefixit: nullo modo dubitaberim, ut cum diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur.....ei linguae potius credatur, unde per Interpretes facta est translatio.

19. Hanc igitur Sancti Hieronymi versionem tanti fecit universa Ecclesia Latina, duce etiam Romana omnium Ecclesiarum matre, ut eam in omnibus Scripturae locis, praeter unum Psalterium, anteponeret. Cum Psalmi ex quotidiano usu, et quia in templis legebantur etiam á vulgo memoriter tenerentur, retenti fuerunt secundum antiquam trans-

lationem. Vsque ad tempus S. Gregorii magni utraque Versio latina tam vetus quam nova optinuit: post tempora vero huius magni Doctoris conflata quidem est una ex ambabus, quaeque *communis* et *vulgata* diceretur, explosa illa Veteris et Novae nomenclatura, quisquis tamdem fuerit illius Versionis mixtae auctor, quam nunc vulgatam Latinam appellamus.

20. Haec igitur editio, quae apud nos vulgata Latina dicitur, si excipiantur Psalterium, Libri Baruch, Ecclesiastici, Sapientiae, et Machabaeorum, quos ex antiqua Itala Versione habemus, fere est Sancti Hieronymi: Versio namque á Sancto Doctore elucubrata, quam publica luce donavit inter Opera ipsius Doctoris P. Martinay Benedictinus Sancti Mauri, non nisi in levioris momenti rebus discrepat á nostra Vulgata, exceptis libris iam indicatis. Doctissimus etiam Montfauconius probat nihil eorum quae ad versionem adornamdam desiderari poterant praetermisisse S. Hieronymum.

21. Quamquam igitur vulgata Latina longo tot saeculorum usu ad saeculum usque 16. in Ecclesia probata fuerit, tamen quia temporibus Tridentini Concilii multae spargebantur in vulgus Latinae editiones, etiam ab auctoribus privatis, suspectae que fidei, statuit, et declaravit ut illa vetus et vulgata editio pro authentica haberetur, ut nemo eam quovis pretextu reiicere auderet. Nulli quidem privato homini integrum est pro arbitrio novam Versionem invehere, alioquin nihil solidum stabileque permaneret in eo negotio in quo fidei doctrinaeque cardo vertitur; et aliunde, ut aliqua versio sit *authentica*, requiritur sufficiens auctoritas publica.

22. Vocem authenticum mutuati sunt Theologi á Iurispetis: nam quemadmodum isti publica, et authentica instrumenta dicunt ea esse, quae interveniente publica Magistratus auctoritate sunt publicata; sic Scripturas, quae á viris á Deo inspiratis in Ecclesia publicatae ac traditae sunt, appellant publicas, et autenticas. Quod graece *authenticon*, id latine auctoratum: hoc est illud, quod ut fidem faciat, non eget aliunde accersitas probationes, sic que instar exemplaris, seu originalis est. Cum vero exempla, quatenus exempla sunt, fidem non faciant, ex se ipsis, ut omnes fatentur, ut exempla Sacrae scripturae fidem faciant, opus est, ut considerentur tamquam in Archivio Ecclesiae publico á temporibus Apostolorum et Evangelistarum habita, conservata, et huc usque tradita.

23. Auctoritas publica eam recipiens, auctoritas publica

eam conservans, auctoritas publica utens ea in dies ut divina, nullum relinquit de divinitate Scripturae dubium. Sicut Deus posuit verbum suum in Scripturis divinis; ita posuit verbum et Spiritum suum in Ecclesia. Si ergo providentia divina tantam curam creditur habere de verbo suo in Scripturis posito, ut doctrina necessaria in versionibus non corrumpatur, quia vult ut veritates ad salutem necessariae ad homines perveniant: certe maiori fundamento creditur non minorem curam impendere Verbo, et Spiritui suo in Ecclesia positis. Magnum igitur crimen est Sacrae Scripturae semel traditae, fideliter acceptae, et huc usque conservatae reluctari, et tot Saeculorum unanimem testificationem in dubium revocare.

24. Reliquum est ut de Canone Librorum Sacrorum aliquid dicamus. Haec vox graeca *canon* latiné nihil aliud sonat quam Regulam, et Cathalogum. Hinc Scripturae Sacrae libri appellantur *canonici*, et quia sunt regula fidei nostrae, et in *catalogo* Librorum sacrorum continentur, quem Sancti Patres *Canonem* appellant. Delectus igitur et collectio quorumdam Librorum facta ab Ecclesia vel sensim, vel publico quodam decreto, ut huiusmodi Libri essent velut norma fidei et morum, Canon Librorum Sacrorum est.

25. Et Veteris testamenti Libros iam diu ante Christi ortum in unum collectos fuisse apud Hebraeos veteres omnes christiani, et hebraei magna consentione tradiderunt. Iosephus qui floruit saeculo 1. Pharisaeus doctissimus, atque Sacerdos Libro 1. contra Apionem grammaticum narrat fuisse consuetudinem Iudaicae gentis, ut post bella Libros Sacros recognoscerent, et restaurarent: Haec fecisse Nehemiam post reditum ex captivitate babylonica narratur cap. 2. Lib. 2. Machabaeorum. Cap. etiam 8. Libri 2. Esdrae dicitur Iudaeos, petiise ab ipso Esdra Scriba, statim hac ad suum solum reversi sunt, *ut afferret Librum Legis Moysi, quam praeceperat dominus Isrraeli*, sic que factum.

26. Vndecim etiam annis ante insendium Templi hierosolimitani Iudaei in captivitatem adducti secum asportarunt sacros codices, iisque non caruerunt Exequiel, Merdochaeus, Tobias, et alii in ipsa captivitate. Cap. 12. Libri 1. Machabeorum, Ionathas sic ad Spartiatas scripsit. *Nos cum nullo horum indigeremus habentes solatio Sanctos Libros, qui sunt in manibus nostris*: Imo cap. 3, eiusdem Libri dictum erat immediate post illud incendium templi, quod *Iudaei in Mas-*

pha convenerunt, et ieiunarunt, et Libros Legis expanderunt. Illam etiam cladem evasit Pentatheucus Samaritanus, quia Antiochi persecutio pertingere solum potuit ad duas Tribus Israel, quae sub ditione Regum Iuda remanserant.

27. Ex his conficitur Canonem Sacrorum Librorum Esdra ipso, cui tribuitur esse antiquiorem, nec uno tempore fuisse consignatum, sed paulatim ac scribi coeperunt, auctumque temporis progressu. Tota sane hebraicae religionis aeconomia in id conspirat ut credamus hebraeos ante Esdram curasse, ut libri sacri in unum corpus colligerentur. Quamobrem, cum post captivitatem babylonicam falsi Prophetae veris admiscerentur, diligentissimi fuerunt in distinguendis Libris Prophetarum ab iis, qui Prophetarum non erant.

28. Libri veteris testamenti simul collecti sunt 45, quos omnes ut Sacros Catholica recipit Ecclesia: Iudaei tamen ita suum canonem digesserunt, ut 22 litteris, ex quibus eorum alphabetum constabat, contineret. In tres partes principales canonem primitivum resecabant: nimirum in Legem, in Prophetas, et Hagiographa. Hanc divisionem *Thora* nominabant. Sub *Lege* comprehendebant 5. Libros Moysis, seu Pentateucum, hoc est Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, et Deutoronomium. Sub *Prophetis* comprehendebant 8, nempe Iudices cum Ruth, Josue, Samuelem, (hoc est primum et secundum Regum) Malachim, (id est 3, et 4, Regum) Isaiam, Ieremiam cum Cinoth (hoc est Lamentationibus) Ezechielem, et Librum 12. Prophetarum, quos minores apellamus.

29. Sub *Hagiographis novem* ponebant scilicet Iob, Psalterium Davidis, Proverbia Salomonis, Ecclesiastem, Canticum canticorum, Danielem, Paralipomenom, Esdram, et Esther. Ita computati numerum secundum supra vigesimum efficiunt. Iuxta varium modum computandi, et alphabetum hebraicum considerandi, sunt qui ponunt 24 Libros, alii 27. alii 28. sed nulla est inter illos differentia. Agiographum, ex *Agios* quod Sacrum, et *Graphia*, idem quod Scriptura, componitur, idemque significat quod Scriptura Sancta: Et quamvis hoc attributum omnibus libris Scripturae quadret, solum novem iam dictos inter Hagiographa numerant Hebraei, quia libri illi non habent praeeminentiam Caeteris.

30. Exodio nascentis Ecclesiae nullus fuit sacrarum Scripturarum N. T. Canon, sed usu, et tacita acceptatione Ecclesiae canonica auctoritas Libris sacris accedebat; res autem haec nondum

erat satis inter catholicos liquida: pro diversitate siquidem Ecclesiarum diversi libri legebantur, sic que multoties admittebantur ut Sacri, qui revera Sacri non erant, veluti epistolae quaedam magnorum Episcoporum: Vt huic ocurrerent malo Patres privatos efformarunt Cathalogos: Plures tamen alii, alii pauciores praetermisserunt, secundum diversas, quas sequebantur opiniones. Nec mirum cum nondum super hac re satis explorata fuerit illis temporibus divina traditio, nec universalis Ecclesia, protulerit suum iudicium.

31. Ad removendam ergo dubitationem quamlibet ex cordibus fidelium, quia Patrum Graecorum et Latinorum labor ad hoc sufficiens non fuit, Ecclesia Sacrarum traditionum integerrima custos, coepit in Conciliis deliberare circa Sanctorum Librorum Canonem. Anno 364. saeculi 4. actum fuit de Scripturarum canone in Concilio Laodiceno provinciali: In Canone 60 huius omittuntur Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabaei, et S. Joannis Apocalipsis. Res meliori lumine positae fuerunt in Concilio Cartaginensi 3. anni 397. cui prefuit S. Augustinus: In Canone huius nullus omittitur eorum Librorum quos nunc velut Canonicos confitetur universa Ecclesia. Innocentius 1, Augustini contemporaneus, eamdem amplectitur Sententiam in Epistola ad Exuperium Tholosanum anno 404: Cum his consentit Gelasius Papa in Concilio Romano 70. Episcoporum. anno 496, et Eugenius 4. in Decreto pro Instructione Armenorum, quod est ad calcem Florentini celebrati anno 1438.

32. Hac constanti traditione agnovit Ecclesia universa in Concilio generali Tridentino anno 1546. Sessione 4. Canonicos ac divinos esse omnes Libros, quorum cathalogum proposuit. In illo indice continentur Libri Protocanonici, et Deutoro-Canonici appellati. Protocanonicorum nomine veniunt illi, qui semper tamquam authentici in Canone habiti fuere: Dicuntur vero Deutoro-canonici, qui licet á multis Ecclesiis probati, tamen á quibusdam aliis velut dubii aliquandiu habiti, in canone inserti non sunt, nisi discussis, somotisque dubitationibus. Deutero canonici ex *Veteri* Testamento sunt Libri Tobiae, Iudith, Sapientiae, Ecclesiastici, Hieremiae cum Baruch, duo primi Machabaeorum, nec non partes quaedam Estheris et Danielis: Ex *novo* Testamento fuere Epistola Pauli ad Haebreos, 2. Petri, Joannis 2. et 3. Iacobi, et Iudae Epistolae, ultimum Marci Caput, Lucae de sudore Christi Sanguineo, Ioannis de muliere adultera narratio, et Apocalip-

sis. Quamvis igitur Deutoro-Canonici ut primum ab auctoribus suis exarati fuerunt, canonici fuissent, prout canon regulam fidei, et morum significat, non tamen in Canone fuerunt in illa canonis acceptione, quae designat Indicem Sacrorum Librorum, quum in Canonem non statim, sed temporis succesu recepti fuerint.

33. Prioritas vel posterioritas approbationis Librorum Sacrorum nihil auctoritatis addit vel tollit libris in Canonem relatis: Ecclesia namque utros libros Protocanonicos, et Deutoro-canonicos canonizando, eadem est modo, quae fuit prius: iudiciumque quod profert nunc eiusdem auctoritatis et efficatiae est in re tam magni momenti. Si ergo quamdiu Ecclesia nondum suum iudicium protulit dubitare licuit; nullus iam citra errorem in fide dubitare potest, postquam re maturé perpensa Libros tam Protocanonicos, quam Deutorocanonicos, *pro Sacris et Canonicis suscepit cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catolica legi consuevere, et in Veteri Vulgata editione continentur.*

34 Index autem Librorum, quos Tridentina generalis Synodus numerat, est: *Ex veteri Testamento*, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri et Deutoronomium, qui Pentatheu cum Moysis continent. Insuper, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et Secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezequiel, Daniel, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, et duo Machabeorum primus et secundus. *Ex novo Testamento*, quatuor Evangelia secundum Matheum, secundum Marcum, secundum Lucam, et secundum Ioannem: Actus Apostolorum, quatuordecim Epistolae Pauli, scilicet ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philipenses, ad Colosenses, duae ad Thesalonisenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri duae, Ioannis tres, Iacobi una, Iudae una, et Apocalipsis Ioannis.

35. Canon igitur Scripturarum non uno eodemque tempore, sed temporis succesu factus est, et quaecumque Scriptores Sacri, quoad res et Sententias Scripsere, ex Dei revelatione atque inspiratione dixerunt: Licet enim forte opus non fuerit, voces ipsas quoad sonum reddere, sensum tamen

verborum ab inspirante Spiritu Sancto magna cum fide et veritate ab iis reddi oportuit. An autem necesse fuerit Dei inspiratione ad ea quae viderant, vel audierant, quaeritur á Theologis? Nobis arridet eorum opinio, quae necessariam asserit nedum protectionem et Dei asistentiam, sed etiam Dei afflatum; quia licet Ecclesia in definiendis rebus fidei habeat Dei directionem atque asistentiam, tamen Definitiones eius non sunt, nec dici possunt verbum Dei, sicut historiae áb Scriptoribus Sacris conscriptae. Non est igitur idem inspiratio et afflatus divinus, ac protectio, et Spiritu-Sancti directio.

36. Inspiratio, siquidem, est supernaturalis, et divina Spiritus-Sancti operatio, qua certo quodam modo dictat, ut scribantur ea quae scripta esse oportuit, ut exprimerent, ut par erat, sententias ipsas, et veritates, quibus fides Christiana innititur, atque in memoriam redigerent ea, quae viderant et audierant, ut Scripturae Summum auctoritatis apicem obtinerent apud fideles, et divino afflatu singillatim scripta fidem Ecclesiae constituerent. Ad directionem sufficiunt, diligentia in scribendo, et memoria in iis retinendis quae viderant, vel ab oculatis acceperant; haec tamen non sufficiunt ad inspirationem: Paulus, quidem Apostolus ab aliis Apostolis acceperat, quae facta fuerant in extrema Christi cum discipulis coena; et tamen 1. Corinthiorum cap. 11. testatur ipse, se á Domino ea accepisse. Afflatus igitur ille Celestis non elidit, sed confirmat humanum testimonium: Vsum memoriae, aut rationis non eripit ab Scriptoribus Sacris; sed perficit, atque historiae ipsi auctoritatem divinam adiicit.

37. His in antecessum praemissis circa Scripturae Sacrae antiquitatem, genuinitatem, sensum, originales textus, versiones, atque canonem; reliquum est aliqua in universum de ipsius integritate, auctoritate, atque obscuritate tangere, docere que penes quem sit eius germani sensus declaratio, pauloque uberius prosequi Vulgatae editionis autenthicitatem. Ut vero uno in loco reperiatur, quid in unoquoque Librorum pertractetur, appendicis loco argumentum singulorum exhibere constituimus. Qui vero uniuscuiusque tractationem velit, adeat praeter alios doctissimi Calmeti dissertationes et Prolegomena, clarissimi etiam Gravesonis de Scriptura Sacra dissertationes, et Sapientissimum incomparabilemque Du-Hamelium in selectissima Clericorum Theologia Seminariis accommodata; nec non Demonstrationem Evangelicam eruditissimi Petri Danielis Huetii Episcopi Abrincensis duobus tomis di-

visam: et Clarissimum insuper Canum Lib. 2. de locis Theologicis.

Quaestio 1. An Sacra Scriptura integra ad nos usque pervenerit?

38. Textum Scripturae Sacrae primigenium, hoc est textum haebraeum, antiquissimum esse, vel ex inde facile cognoscitur quod est anterior 70. Interpretum Versione, quae 300. annis ante Christum fuit in Aegypto adornata. Quemadmodum igitur plurimi facienda est haec Sacrae Scripturae antiquitas, quia ea utuntur Christiani ad probandum Christum esse Messiam in Veteri Testamento promissum, á Patriarchis spectatum, et á Prophetis praedictum: ita etiam plurimi habendi sunt haebraeus, et graecus textus, si in his quae ad fidem et bonos mores spectant, non corrupti sed puri et illibati etiam perstant; namque Vulgata Latina Scripturae Sacrae editio ex utroque textu conflata, tam Vetus quam Novum Testamentum complectens, est instrumentum, quo Ecclesia Catholica utitur ad fidem stabiliendam, erroresque profligandos. Mentem nostram de Scripturae integritate in his, quae ad fidem et mores pertineot, declaramus hac Conclusione.

39. Sacrae Scripturae cum Veteris, tum Novi testamenti, quoad eius substantialia integrae in textibus Hebraeo et Graeco ad nos usque pervenerunt. Probatur Conclusio. Nedum SS. Hieronymus et Augustinus, re hac accuratius inspecta, ut improbabilem reiecerunt sententiam de textus hebraici per malitiam Iudaeorum interpolatione, primus in Cap. 6. Commentarii in Isaíam, alter vero 15. de Civitate Dei cap. 13; sed etiam Recentiores doctissimi: namque post Originem, illo que duce, noverunt quod ante Christi adventum textus hebraicus non fuit depravatus, quia Christus, qui alia Iudaeis exprobat crimina, huius eos numquam sceleris arguit; quin potius Ioan. 5. ad Scripturas scrutandas auditores suos remittit: Nec post Salvatoris adventum: nam in codicibus hebraeis nunc extant, quae ex iis á Christo et Apostolis laudata sunt. Praeterea si hebraei libros Sacros de industria violassent, illibata non permanerent Vaticinia de Christo, eiusque mysteriis, atque Ecclesia; substulissent que omnia quae illis sunt dedecora, ut crebras rebelliones, aurei vituli cultum, et alia flagitia quae iis sedulo exprobrant Moyses, et Prophetae.

40. Versio etiam 70. interpretum, quae nascenti Eccle-

sive officium praestitit bonae obstetricis, et crescenti nutricis optime, non fuit concinnata ex turbidis lacunis popularium codicum Chaldaicorum, Syriacorum, et Samaritanorum, sed ex puris hebraicis fontibus, ut solidioribus rationibus evincit doctissimus Ioannes Morinus adversus Rabbinum Azariam. Hac versione, quae maximo semper in honore atque veneratione fuit in Ecclesia, usi sunt Apostoli et Evangelistae, ut notant S. Irenaeus Lib. 3. cap. 26. et S. Hieronymus praefatione in Evangelia: Per hanc versionem nascens Ecclesia fuit instituta, alita, educata, et in fide confirmata, sicque eandem Sancti Patres uno ore laudant, ut textui hebraeo apprime consonam. Ecclesia Graeca semper usa est 70. Virorum Versione, utiturque nunc etiam, sciente, nec reclamante Latina Ecclesia: Sixtus etiam 5. diplomate quodam approbavit versionem 70. interpretum editam anno 1582. studio Cardinalis Caraffae Apostolici Bibliothecarii pristino suo nitori restitutam ex antiquissimo Bibliothecae Vaticanae Codice.

41. Volumus, ait Summus Pontifex Sixtus, et Sancimus ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem, ut Vetus Graecum Testamentum iuxta Septuaginta ita recognitum, et expolitum, ab omnibus recipiatur, et retineatur: quo potissimum ad Latinae vulgatae editionis, et Veterum Sanctorum Patrum inteligentiam utantur, prohibentes, ne quis de hac nova Graeca editione audeat in posterum quidquam immutare.

42. Novi testamenti originalis textus corrumpi non potuit Apostolorum tempore, quia tunc adhuc in vivis erant, qui eos Spiritus-Sancti afflatu conscripserunt; extabantque quidam originarii novi testamenti codices Tertulliani tempore, ut ipse testatur Lib. de praescriptionibus. Nostra Exemplaria Graeca maxime cohaerent cum textibus graecis, quos in suis Scriptis laudarunt priorum Saeculorum Patres, veluti Ignatius, Clemens, Iustinus, Irenaeus, qui cum vicini essent Apostolorum temporibus, ipsa potuerunt autographa consulere. Patres octo priorum Conciliorum generalium in oriente habitorum usi sunt textu graeco novi testamenti ad confutandos haereticos dogmataque stabilienda: in Conciliis etiam post illa tempora habitis, ut Lateranensi 4. Lugdunensi, et Florentino Patres Latini, qui cum Graecis manus conseruerent, nusquam illis obiecere depravationem textus graeci Novi Testamenti. Cumque Luttherus, et Calvinus contenderent Vulgatam nostram editionem gravibus scatere erroribus, de hac sola egit Tridentina Synodus generalis in suo de Scripturis Decreto.

43. Obj. 1. S. Iustinus martyr, in Dialogo cum Tryphone, S. Irenaeus Libris 3. et 4. capitib. 24. et 25. Tertullianus de habitu muliebri, et S. Chrisostomus homilia 5. in Matthaeum Iudaeos accussant quod suos haebraicos codices depravaverint: ergo Sacra Scriptura textus hebraici revera corrupta est ex malitia Iudaeorum.

44. R. Quod viri doctissimi, atque in hebraicis voluminibus exercitatissimi, ut Waltonus in Poliglota Londinensi, Richardus Simonius in Disquisitionibus biblicis, et Pater Le-Quien in Testus Hebraei defensione diserte ostendunt, Patres in obiectione relatos contra Iudaeos Scripsisse, non quod ex industria textum corruperint, sed quod ex odio christianorum, ubi duplex esset lectio, quarum una Christianos faveret magis quam altera, hanc secuti fuerint. Patres namque illi sciebant Iudeos per omnes gentes ideo dispersos á Divina Providentia, ut Libros circumferrent in quibus habentur veritates quas religio Christiana praedicat.

45. Obj. 2. in Hebraeo textu desiderantur septem postrema Estheris capita, nec in eo legebantur tempore S. Hieronymi: nec etiam habentur duo postrema Danielis capita, quibus Historiae Susannae, Belis, et Draconis continentur; et de his ait Origenes in Epistola ad Iulium Africanum: Non est ergo mirum, si veram historiam Susannae::: suffurati sunt, et Substraxerunt á Scripturis: ergo textus haebraeus Iudaeorum malitia expunctus fuit, et non pervenit integer ad nos.

46. R. Quod licet septem Esthetis capita, et duo postrema Danielis non fuerint in Codicibus hebraeis tempore S. Hieronymi, nesciamusque quo tempore exciderint; at non defuerunt in Codicibus haebraeis, quos prae manibus habuerunt Septuaginta Interpraetes. Certe Iosephus, qui ex Libris Canonicis Iudaeorum suam exscripsit historiam non praetermissit duas Assueri Epistolas, et Mardochei orationem, ut videre est cap. 6. Libri 11. antiquitatum. Origenes etiam homilia 12. in Ieremiam haec habet: Quoniam difficile est se malum aliquem confiteri, ideo Iudaei, qui exemplaria non nulla falsarunt, etiam in hoc loco, pro peccato Iudae, peccatum eorum posuerunt. Ex quo liquet non omnia exemplaria fuisse corrupta. Illud etiam per transennam dicimus, haec loca ad fidem et mores non pertinere

47. Obj. 3. Septuaginta viralis versio á Sanctis Luca, Marco, Ioanne, et Paulo laudata 1500. annos addit Cronologiae textus hebraei, ex quo apparet Iudaeos, qui calculum

haebraeum in odium Christianorum depravarunt, id etiam in aliis maximi momenti rebus fecisse. Sic Isaac Vosius, et Pezrotnius.

48. R. Quod prisci Ecclesiae Patres ut Iulius Africanus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, et alii, qui disonantias textus hebraei á Graeco in rebus Cronologicis inspexerunt quam diligentissimé, numquam cogitarunt de hac depravatione Iudaeis obiicienda. Haec etiam variatio nullum creat fidei et morum disciplinae periculum. Numerandi modus textus hebraei longe diversus ab eo, qui in 70. Interpretibus legitur, veritati non efficit; sic verum est 70. animas de familia Iacob descendisse in Aegyptum, et simul verum est 75. descendisse. Nam haebraeus Codex recenset solum filios et nepotes Iacob, qui geniti erant, cum in Aegyptum descendit, qui erant 70: Versio vero 70. viralis eos etiam numerat qui nati sunt post descensum Iacob vivente adhuc Iosepho, qui fuerunt quinque; sic per anticipationem numerat cum his 75. ut docent S. Hieronymus Libro de Quaestionibus haebraicis in Genesim, et S. Augustinus Cap. 40. Lib. 16. de Civitate Dei.

49. Obj. 4. Codices cum Veteris tum novi testamenti corruptos et depravatos esse nihil est, quod dubitemus: Namque 1. Ludovicus Capellus vir linguarum peritissimus, Lib. 4. historiae Sacrae, Morinus Lib. 1. exercitationum, plura exhibent exempla ex quibus constat textum Graecum Septuaginta virorum innumeris aberrare á textu hebraeo: In novo testamento Millii sunt infinitae variae lectiones: ex quo fit nunc Scripturam Sacram puram et integram non servari. 2. Victor Tunuensis saeculi 6. Scriptor narrat in suo Chronico, *Messala Consule*, Anastasio imperatore iubente, Sancta Evangelia, tamquam ab idiotis Evangelistis composita reprehenduntur et emmendantur. 3. In Scriptis Patrum, quos habemus, plura quae tamquam ex Scriptis Apostolorum citantur, non reperiuntur; alia sunt, quae licet reperiantur, at modo plane diverso. 4. Demum, improbabile prorsus est, ex omnibus libris mirum in modum corruptis á tempore, á Librariis, á Critico-falsariis solos Libros Sacros immunes fuisse servatos.

50. R. Quod varietates, quae sunt in textu primitivo Veteris Testamenti, et in Septuaginta virorum translatione sunt in rebus minoris momenti, non vero in his, quae fidem, vel mores spectant, ortae que sunt ex varia codicum lectione, non ex Interpretum inscitia, vel malitia; illiusque varietatis,

auctor est ipse Sanctus Spiritus, ut docent Sanctus Hieronimus praefatione 2. in Librum Paralipomenon, et S. Augustinus cap. 43. Lib. 18. de Civitate Dei. Ex collatione etiam locorum Evangelicorum, quae in Codicibus extant, cum locis citatis á Theologis infinitis, qui ante Anastasium scripserunt, eadem reperiuntur. Quae laudant ex Novo Testamento Veteres Christiani et temporibus Apostolorum vicini, eodem prorsus modo reperiuntur, si non quoad verba, quoad sententias. Corruptiones etiam vel attinent ad verba, vel ad sententias: huius generis saltim in locis ad fidem et mores spectantibus nullae huc usque produci potuerunt ab Athaeis. Scitu difficile non est, qui fieri potuerit, ut Libri Sacri potuerint evadere vim temporis, citorum, Librariorum, et falsariorum, namque maxima cura in hoc fuit adhibita, cum libri isti et maiori haberentur reverentia, et in publicum Ecclesiarum usum describerentur. Conficitur ex his, quaedam, non omnia exemplaria, fuisse corrupta et depravata.

Scholion.

51. Conficitur necessario ex dictis Codices Ecclesiae Christianae eosdem, quoad substantiam esse, quos conscripsere Moyses, Prophetae, Evangelistae, Petrus, Paulus, Iudas, et Iacobus. Sequitur etiam nec ante adventum, nec post adventum Salvatoris libros hebraeos fuisse falsatos; namque ut ait S. Hieronymus Cap. 6. in Isaiam: „Si aliquis dixerit hebraeos libros postea á Iudeis fuisse falsatos, audiat Origenem, quid in octavo Explanationum Isaiae, huic respondeat quaestiunculae: Quod numquam Dominus et Apostoli, qui cetera crimina arguunt in Scribis et Pharisaeis, de hoc crimine, quod erat maximum reticuissent. Sin autem dixerint post adventum domini Salvatoris, et praedicationem Apostolorum, libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, et Evangelistae, et Apostoli ita testimonia protulerint, ut Iudaei postea falsaturi erant."

Quaestio 2. Utrum libri qui in Bibliis continentur divinae sint auctoritatis?

52. Athaei, Pagani, et Libertini se se supra Vulgi prae-

iudicia, ut dicunt, efferentes, et ingenii ostentantes perspicaciam, perfracté negant libros Veteris et Novi Testamenti, qui in bibliis continentur fuisse á Divino spiritu afflatos Sacris auctoribus, sic que humana fide ad summum credendas esse Scripturas, quod hominum testimonio nitantur. Ex S. Epiphanio, haeresi 76. scimus Anomaeos in illo fuisse versatos errore, Prophetas et Apostolos ut homines locutos fuisse, neque Sanctum Spiritum esse principalem Sacrae Scripturae auctorem, qui mentibus illorum impressit illustrationem et rerum cognitionem, quas voluit fideliter litteris consignari, eos ad hoc impellendo. Infiniti pene essemus in hac tam ampla, necessaria que provincia, si vel praecipua tangenda forent, quae inspirationem auctoritatemque divinam utriusque paginae stabiliunt, et in pulverem convertunt argumenta hostium verae religionis. Selectiora igitur delibabimus.

53. Priusquam vero asserimus divinam auctoritatem Sacrorum librorum, quae ab Spiritus Sancti manat inspiratione, quaedam scitu digna, ne extra ollam divagetur oratio, praemittenda sunt. Licet Theologi ut haereticorum cavillationes facilius diluant varia inspirationum genera statuant, et circa modum inspirationem explicandi revera digladientur; omnes tamen unanimi consensu docent, post Patres Ecclesiae, Veteris et Novi Testamenti scriptores fuisse á Deo inspiratos, eiusque Libros divina gaudere auctoritate. Ipsi Theologi Catholici toti in eo sunt, quod fides, quam sacris praestamus scripturis est divina, quia suam vim non ducit ab scriptore, qui fuit Dei instrumentum, sed ab ipso Deo, qui per os hominis alloqui aliis hominibus dignatus est. Non igitur homini fidem adhibemus, sed divino Spiritui, qui hominem inspiravit. His praemissis hanc damus conclusionem.

Qui Libri, in nostris continentur Bibliis Sacri sunt, et divinae auctoritatis.

54. Probatur conclusio. Scripturae Libri, licet ministerio scripti humano Moysis, Prophetarum, Apostolorum, Discipulorumque, Deum agnoscunt auctorem; nec ab alio nisi ab ipso procedere potuit illorum simplicitas, veritas, sanctitas admirabilisque tot Scriptorum consensio, qui eo tendunt, ut vita ad naturae leges componatur. Hi, utriusque paginae libri pluribus referti sunt vaticiniis de Abrahami posteris: de subversione magnorum regnorum: de Christi nativitate in

Bethleem ex Virgine: de eius vita, miraculis, morte acerrissima, et resurrectione tertia die: de natione Iudaeorum abiicienda, et gentium vocatione ad veri Dei cultum &. Prophetiae isthaec, quae magna ex parte completae sunt; quemadmodum ex cuiusque aetatis traditione perenni ad nos usque derivatae, constat, iis temporibus factae, sunt quibus nec suspicari poterant res illae praedictae: adeoque nec sine Dei afflatu, qui solus futura in suis causis liberis circunspicit, valebant praevideri, nec mandari litteris absque divina inspiratione, divinaque auctoritate: Hac ergo gaudent utriusquae paginae libri in nostris Bibliis contenti.

55. Ad huius rei confirmationem quaedam his consona, et quae apud nos vim summam obtinent, opus est adducere. 2. Petri cap. 1. haec legimus: *non voluntate humana, allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines*: et 2. Pauli ad Timothe. 3: *omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum.* Nomine autem *prophetiae* S. Petrus intelligit non solum eorum scripta, qui futura praedixerunt antequam fierent, sed eos etiam, qui praeterita recensebant, atque praesentia enarrabant: *Sciendum est*, inquit Theodoretus, *prophetae proprium esse, non solum futura praedicere, verum etiam et praeterita, et praesentia enarrare*. Paulus etiam non de qualibet Scripturae parte, sed de omnis Scripturae partibus loquitur cum ait *omnis Scriptura*.

56. Ex his manifeste concluditur, quod universa Scriptura, non modo prophetica et legalis, sed etiam moralis, et historica sit divinitus inspirata: Si namque quid, vel minimum sit in illa, quod á Divino Spiritu non sit vel revelante, vel afflante, vel dirigente: nullum in ea caput sit, oportet, de quo dubitari non possit an á Deo sit, vel ab homine: *isto que absurdo semel admisso, tota Scripturarum vacillabit auctoritas, ideoque fides nostra*, ut inquit Augustinus cap. 27. Libri 1. de Doctrina Christiana. Igitur in scribendis moralibus exortationibus, et in factis historicis narrandis, quorum testes vel occulati, vel auriti fuerunt Scriptores Sacri, non humana et propria innixi erant notitia, sed afflatu divino: namque, si quid citra divinam inspirationem fuissent locuti, non *eloquia Dei*, sed humanum tantum verbum nobis exhiberet Scriptura. Hoc autem pugnat cum Apostolo epistola 1. ad Thesalonisenses cap. 2. ubi ait, *Gratias agimus Deo sine intermisione, quoniam cum accepissetis á nobis verbum*

Dei, accepistis illud non ut est verbum hominum, sed sicut est vere Verbum Dei. Libri ergo in Bibliis contenti, pollent divina verbi Dei, quod in illis asservatur, auctoritate.

57. Obj. 1. Nulla indigebant inspiratione Scriptores Novi, et Veteris Testamenti, namque ipsi fatentur, ordine scripsisse, quaecumque hauserunt ex veterum monumentis, vel ab aliis audiverunt, vel quae ex propria perceperunt industria. Sic Lucas initio Evangelii testatur his verbis: „sicut tra„diderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri „fuerunt sermonis: visum est mihi assecuto omnia á princi„pio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophilé. „Conciliat equidem Lucas eorum fidem, quae scribit, non „sub inspiratione divina, sed ab humana fide, hoc est á no„titia sensibus hausta. Idem Lucas in Actibus ait; „ quod „ fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nos„tris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt „ de verbo vitae; et vita manifestata est, et vidimus, et tes„tamur, et anuntiamus vobis vitam aeternam." In exortationibus ergo moralibus, quibus vitam aeternam anuntiabant divina inspiratione non fuerunt collustrati.

58. R. Quod cum Deus voluerit Scripturam Sacram Summam in Ecclesia pollere auctoritate, hoc est divina, non sufficiebant ad hoc fides in enarrando, diligentia in scribendo, et memoria in retinendis rebus, quas perspexerant, vel ab oculatis probatissimae fidei testibus acceperant. Ad haec ergo enarranda non egebant ea inspiratione, qua sacer scriptor ad ea collustratur, quae aliunde penitus nescit; sed illa, quae directionis, et praesentiae divini Spiritus ad scribendum impellentis vocatur á Cano, Contensonio, aliisque magni nominis Theologis.

59. Cum utraque hec Sacra Divini Spiritus inspiratio penitus ignota fuisset Ethnicis, quos fide Christiana imbuere debebant Apostoli, ut facilius illos ad Christi fidem adducerent, argumentis usi sunt eorum captui magis accommodatis, et ex his petitis, quae vel viderant, vel audierant. Ipse S. Lucas Dei inspirationem fassus est cap. 1. Evangelii, cum ait; *suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiae suae, sicut locutus est per os Sanctorum, qui á saeculo sunt Prophetarum eius*: et Actor 3: *Deus praenuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum.* Id ergo, quod vidit Lucas, quod contrectavit, et de quo ad evidentiam usque certus fuit per sensuum motiva, credidit etiam fide divina Dei lo-

quentis, et anuntiantis *pati Christum per* os Prophetarum.

60. Obj. 2. Libri Sacri, et Divini eo unice tendere debent, ut quae ad Religionem pertinent, nos edoceant, non vero, ut nos in rebus philosophicis, historicisque instruant: Ergo verisimilimum est, quod Deus Scriptores non inspiraverit in rebus ad Philosophiam et historiam pertinentibus, quasque in suis Libris inseruerunt.

61. R. Quod licet Scripturarum finis sit homines edocere quaecumque ad religionem pertinent, tamen ex hoc non sequitur quod in illis rebus quae ad historiam vel philosophiam pertinent non inspiraverit Sacros Scriptores; quia eorum auctoritas undequaque Sacrosanta est, etiam in illis rebus quae ad religionem non spectant. Ex quo ergo Deus voluit nos Christianos, et non Astronomos, nec Mathematicos, id legitime colligitur, multa scripta in Scripturis reperiri magis secundum usitatam et consuetam loquendi rationem, quam iuxta exactam Sapientum philosophandi methodum, *quia*, ut ait S. Augustinus (cap. 2. L. 2. de Genesi ad litteram) *Spiritus Dei, qui per ipsos* (Auctores Sacros) *loquebatur noluit ista docere homines nullius saluti profutura.*

62. Obj. 3. Spiritu Dei pleni esse non poterant inter Scribendum Auctores quaedam Deo indigna narrantes; ut ipsum mirabundum sua sex dierum opera aspexisse, et quod postea ipsum poenituerit quod hominem fecisset: Deum gaudere Sacrificiis animalium &c. ¿Quis etiam sibi persuadere poterit inverosimilia et falsa á Deo dictari potuisse? Fabulam rabinicam sapit, et res pene incredibilis est foeminae de costa Adae formatio: Falsum prorsus est ex Paradiso á Deo facto quatuor exiisse flumina, Phison, Gehon, Tigrim, et Euphratem, cum ex Geographia notum sit ex nullo communi fonte haec flumina nasci. Auctores demum librorum Scripturae sibi contraria narrant, aut docent, ut antilogiae Scripturarum commonstrant. Cum ergo Deus sit unus et verax, sibique contrarius esse non possit, relinquitur per illos Scriptores locutum non fuisse.

63. R. Quod cum Scriptura ad hominis institutionem data sit, agit Deus cum hominibus quemadmodum Sapientes cum idiotis, qui ut intelligantur, non Sapientium linguam loquuntur, sed linguae idiotarum se accommodant, sicque non lingua divina locutus est, sed humana, ut ab hominibus intelligeretur. Phrasis autem illa *sunt valde bona*, non est

Dei admirantis, sed confirmantis rerum bonitatem; ut docet Augustinus Libro contra legis adversarium. Plenus etiam humanis affectibus atque membris dicitur, non quod revera Deus sit corporeus, vel poenitentia agatur; sed his metaphoricis locutionibus se se accommodat hominum captui. Puerile ac ridiculum sane est ad fabulas rabinicas amandare formationem foeminae ex costa Adae, cum in hoc potissimum dignoscenda sit Omnipotens conditoris virtus, qui in hac operatione semina iecit vinculi quod reperitur inter virum et foeminam, quae debet viro, cui per matrimonium iuncta est, subesse, quia ex viro facta est, ut Paulus scribit 1. od Corinthios epistola.

64. Mirum non est quod hoc tempore non reperiatur locus Paradisi, nec fons ille communis ex quo nascebantur quatuor illa flumina, namque per subsequens diluvium, telluris superficies pluribus in locis disrupta confracta que fuit, complures etiam fluminum fontes corrupti fuerunt. Praeterea, contrarietas quorundam locorum Scripturae, non est vera et realis sed apparens. Haec enim in speciem locorum pugna vocatur Antilogia, seu apparens contradictio. Non paucas adnotavit simulque composuit S. Augustinus ex solis quatuor Evangelistis: Plura ex utroque collegerunt Richardus Clumasensis et Zeraphinus Cumiranus sub annum Christi 1160. Nimis prolixe alii haec prosequuntur. Selectae 1450. reperiuntur in Commentario Scripturae clarissimi Tirini ad calcem tom. 3. Indice 4. Pagina 70. Theologiae fundamentalis tom. 2. tangitur haec provintia, et insimul. 12. ponuntur regulae, quibus adiuti Iuniores Theologi possunt dissolvere antilogias, illis obiici solitas. Extat etiam opusculum quoddam de antilogiis á Martino Becano confectum.

65. Obj. ultimo tanta connexio est inter res et voces, quibus exprimuntur, ut mens dum de rebus cogitat nusquam abstrahat á vocibus, quibus redduntur: Si ergo Deus Sententias inspiravit, etiam locutiones ad res enunciadas inspirasse dicendum erit: Hoc stante nulla versio Scripturae verbum Dei continebit, quia tum Interpretes in Scripturis reddendis inspirati fuissent: Hoc vero nimis absonum est, quia tunc nulla esset differentia inter Auctores Sacros, et eius Interpretes.

66. R. Quod veritas rerum alligata non est cum materialibus syllabis, parum que interest quibus vocibus exprimatur, dummodo sensus sit omnino conformis obiecto. Sic

Moyses non eadem dictione exprimit Decalogi praecepta Exodi 20. qua Deutoronomii 5. Praeterea eadem est Scripturae auctoritas in versionibus, modo idem sensus fideliter et accurate retineatur, ut videre est in Versionibus, quae in Ecclesia leguntur, et praecipue Vulgata Latina. Illa ergo auctoritas non est propter voces, quae inspiratae non sunt interpretibus, sed propter res ipsas, seu sensus qui accurate redditi fuerunt. Ab hac generali doctrina excipienda videntur fidei mysteria, aliaque captum humanum excedentia; nam ut acies mentis humanae ad illa intelligenda satis non est, ita locutio humana non sufficit ex se ad ea enuntianda, inquit Cavades T. 1. p. 24.

Quaest. 3. *An Sacra Scriptura sit ita ubique aperta, ut explicatione externa non egeat?*

67. Insulsum Luteri et Calvini aliorumque Sectariorum est paradoxum illud Scripturam Sacram sic ubique claram et apertam esse, ut nulla expositione indigeat; sicque singulos homines quamtumvis rudes et illiteratos posse per internam Spiritus-Sancti gratiam illam facile intelligere, atque interpretari, nec necesse habere alios audire, non Patres Ecclesiae, non Synodos, non Pontifices, non magni nominis Theologos, sed se ipsos; qui sibi de interna Sancti Spiritus asistentia perpere blandiuntur. E contrario Catholici post Sanctos Patres docent Scripturam Sacram, licet in aliquibus claram, in multis perdifficilem et obscuram esse, sicque opus esse auctoritate externa Ecclesiae. In veteri siquidem lege Gymnasia erant in eum finem instituta, quibus legis sensus aperiebatur secundum Prophetarum traditionem. Apostoli etiam in Concilium congregati Scripturas explicarunt in Gentilium gratiam, ne ceremoniis legalibus subiicerentur. Nostram mentem iam aperimus.

68. *Sacra Scriptura non ita ubique aperta est, ut nulla declaratione externa egeat.* Probatur Conclusio. Propheta Regius in hebraica lingua et lege peritissimus; qui Psalmo 118. versu 105. dixerat: *lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*; tamen in eodem Psalmo divinum invocat lumen, ut Scripturas intelligat, cum ait: „Da mihi intellectum, „et Scrutabor legem tuam .... Revela oculos meos, et conside- „rabo mirabilia de lege tua. Declaratio sermonum tuorum il- „luminat, et intellectum dat parvulis .... faciem tuam illumina

» super servum tuum, et doce me iustificationes tuas.» Apostoli ipsi á Christo veritatis magistro edocti, multa quae ab illo dicebantur, non intelligebant: Sic Matth. 13. legimus: Accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: edíscere nobis parabolam Zizaniorum agri: Sic Cap. ultimo 2. Petri de S. Pauli Epistolis dicitur: » *in quibus* sunt quaedam difficilia intel» lectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et Ceteras » Scripturas, ad suam ipsorum *perditionem.*" ¿Quid plura?

69. Patres sive Graeci, sive Latini uno fatentur Ore cum Ambrosio Scripturas esse plerumque obscuras, *mare que esse habens in se sensus profundos; altitudinem propheticorum aenigmatum*; atque ob hanc causam S. Hieronymus qui ab adolescentia nusquam cessavit aut legere, aut doctos viros interrogare, quae nesciebat, Alexandriam perrexit, ut videret Didymum, et ab eo sciscitaretur in Scripturis omnibus, quae habebant dubia, ut ipse testatur praefatione Commentarii in epistolam ad Ephesios. *Magnae utilitatis est*, ait S. Gregorius Magnus, (homilia 6. in Ezechielem) *ipsa obscuritas eloquiorum Dei*, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus.

70. Ratio etiam suffragatur. Si namque Scripturam, Sacram pro ipsa sui altitudine, non uno eodemque sensu omnes accipiunt, sed eadem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur, ut pene quod homines sunt, tot illic sententiae erui posse videantur: idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticae, et Apostolicae interpraetationis linea secundum Ecclesiastici et Catholici sensus normam dirigatur, hoc est secundum normam sensus Ecclesiae Catholicae, ut aperte ostendit Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio. Sed demus paulisper Scripturam planam et obviam esse vel mulierculis ex faece vulgi: ¿Quorsum ergo haeretici ad dirimendas controversias apud illos exortas circa dogmata in Scripturis contenta, tot Synodos celebrant; anathemate percellunt eos qui Sanctionibus Synodorum illorum refragantur; magnoque animorum aestu inter se digladiantur circa sensum illorum Verborum, *Hoc est Corpus meum*, quae tamen sua claritate se se ingerunt Omnium oculis? Fictitia igitur est illa privati Spiritus interpraetatio, quae tot dissensiones peperit, quas invicté ostendit illustrissimus Bosuet in Libro Gallico de Variationibus Haereticorum. Spiritus Sanctus quidem non dissentionis, sed pacis Spiritus est; non erroris, sed veritatis: huiusque directione docta Eccle-

sia Catholica Scripturae sensum aperit, fidelesque eam audire tenentur, quia Christus voluit eam esse columnam et firmamentum veritatis.

71. Obj. 1. Scripturae Sacrae in omnium proculdubio utilitatem divinitus datae sunt: posita vero Scripturae obscuritate inutilis plane foret eius lectio; et cum Spiritus Sanctus lucis Spiritus sit, incredibile prorsus est obscuré loqui voluisse: Scriptura ergo nullatenus obscura est.

72. R. Quod licet Scripturae Sacrae in omnium fidelium utilitatem datae sint, tamen panis iste fortium plus detrimenti, quàm utilitatis afferret, si non frangeretur ac divideretur singulis ministerio Doctorum sale explicationis conditus. Praeterea, cum in Scripturis non solum contineantur, quae cuique in sua vita, et statu necessaria sunt ad salutem, sed etiam plurima pertinentia ad communem Ecclesiae utilitatem; non statim á bonis viris cognoscuntur, quamtumvis Spiritum Dei habeant, quia Spiritus veritatis et luminis, suam lucem fidelibus communicari voluit per Pastores et Doctores ab ipso constitutos in Ecclesia ad opus ministerii. Accedit, quod etiam Pastores ac Doctores non statim Scripturarum intelligentia imbuuntur, sed magna facta disquisitione, et praecibus ad Deum fussis. Hoc ipso ergo quod Deus voluit alios esse Magistros, alios Discipulos, voluit etiam pluribus in locis Scripturas obscuras, ut cúm humilitaté, reverentia, et docilitate legerentur á Magistris, audirenturque á discipulis; ita ut ab utrisque pro quotidiano fructu percipiatur, vitae emmendatio, serium virtutis studium, cupiditatum diminutio, et caritatis incrementum.

73. Obj. 2. Patres primorum saeculorum Scripturas absque ullo commentario legebant, intelligebantque, ut magnos fecerint in virtute atque doctrina progressus: hoc autem non aliunde veniebat, nisi quia persuasi verbum Dei esse lucem illuminantem oculos, nulla penes illos erat obscuritas illa, quam sustinemus, non considerantes lucem obscuritatem non admittere. Scriptura ergo nullatenus obscura est.

74. R. Verbum Dei, spectatum in se, semper lucidum esse; non vero quo ad nos; sic que ut clare percipiatur eius sensus requiritur externa explicatio credendorum. Quare licet priorum saeculorum Patres intellexissent Scripturas absque interpretatione scripta, tamen non caruerunt vivae vocis oraculo: habuerunt si quidem ipsos Apostolos interpraetes,

vel eorum discipulos; legiturque non semel in actis ipsum Paulum á Deo doctum Scripturas explicasse in orationibus, de Christi divinitate habitis apud Iudaeos. Ex cap. 10. Actorum scimus, quod licet Angelus Cornelio nuntiarit exauditas eius orationes, respectasque eleemosinas, tamen fuisse traditum Petro, ut audiret, quid illi credendum, quid sperandum, quid diligendum esset.

75. Obj. 3. Fideles quamtumvis illitterati per internam Spiritus Sancti gratiam possunt facile intelligere Scripturam absque externo Doctore: Paulus namque 1. Corinth. cap. 2. V. 15. ait, Spiritualis iudicat omnia, et ipse á nemine iudicatur: cui consonat Ioan. Epist. 1. cap. 2. V. 27. non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut eius unctio docet vos de omnibus, et verum est: ergo Scriptura Spiritualibus hominibus clara est.

76. R. Quod Spirituales et Apostolici viri, qui similes Paulo Spiritum Apostolicum acceperant, iudicabant non singula, et omnia simpliciter, sed ea omnia, quae ad salutem fuerint necessaria; namque Sanctus Spiritus quaedam sibi reservavit, et quaedam uni privatim revelavit, quaedam alii. Sic Actorum 8. Eunuchus, in quo sine dubio Spiritus Dei erat, locum Isaiae sine externo doctore expedire non potuit. Per verbum autem *judicat*, non intelligitur iudicium definitivum iudicis; sed iudicium discretionis, quo discernitur et expenditur pondus rationum ab Spirituali et perfecto á Deo edocto. Sanctus Ioannes per *unctionem* intelligit gratiam et Sapientiam Spiritus Sancti, quam acceperant in unctione baptismatis et confirmationis per ministerium Ioannis; et cum haec scripsisset Beatus Apostolus scientibus veritatem, quam audierant ab initio, ut patet ex versibus 21. et 24. optime docet illos non necesse habere ut aliquis Pseudo-Apostolorum doceat illos, quasi nondum plane instructos. Nullatenus vero excluditur Doctorum et Pastorum Ecclesiae instructio: ¿ Quorsum, enim, dixisset v. 24.: Vos, quod audistis ab initio, in vobis permaneat? ¿ Quorsum etiam Ioannes hac prolixa epistola instrueret fideles, si opus non fuisset magisterio Doctorum et Pastorum Ecclesiae? Non igitur provocat illos ad Spiritum privatum, nec de difficilibus nodis, loquitur sed de mysteriis fidei quae oportet quemlibet fidelem nosce, postquam est edoctus.

77. Obj. 4. SS. PP. et praesertim Augustinus L. 2. de Doctrina Christiana, et S. Chrisostomus hom. 3. ad Thesa-

lonisenses, *docent omnia clara esse ex Scripturis divinis*; et quod obscuré in uno reperitur loco planissime dictum alibi reperitur: ergo.

78. R. Quod mens horum PP. et aliorum est Scripturas in se lucidas esse, immo lucernam et lucem, non ex eo quod facile intelligantur, sed ex eo quod postquam fuerint intellectae, mentem illustrent. Sic ipsi PP. (et nominatim Chrisostomus homilia 10. in Ioannem) moneat auditores, ut antequam ad concionem veniant, legant lectionem, notentque quod obscurum reperiant, ut explicationem á Concionatore accipiant.

79. Obj. 5. Patrum commentaria minus clara sunt quam Scripturae; namque cum minus notum ex magis noto explicetur, et Patres suas sententias per Scripturas explicent, facile colligitur in his nihil obscuritatis esse.

80. R. Quod Scriptura Patrum sententiis notior est, si sermo sit de notitia veritatis quae mentem magis ad sui assensum trahit, namque notius est magis verum esse quod in Scripturis habetur, quam quod in Sententiis Patrum continetur: Si vero loquamur de verborum notitia, et sententiarum perspicuitate, tum Scriptura minus nota est, quam sensa Patrum, quia horum labor fuit ad illustrandas Scripturarum locutiones.

81. Obj. 6. Si Scripturae obscurae essent, verus illarum sensus á iuditio Ecclesiae penderet; sicque verbum Dei penderet á verbo hominum. ¿Quid vero absurdius hoc? Vltima enim fidei resolutio inniteretur in auctoritate Ecclesiae.

82. R. Quod Ecclesia illam facultatem discernendi verum Scripturae sensum habet ab ipso Christo: namque, Spiritus meus, inquit, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore Seminis tui usque in sempiternum. Providit ergo Deus, ut ea quae credenda, et agenda essent nobis proponeret Ecclesia. Ex hoc autem inepte colligeretur fidei resolutionem in Ecclesiam fieri; quia licet Ecclesia sit causa sine qua, ex Dei institutione, non crederemus; eius tamen auctoritas non est ratio per se movens ad credendum. Illa, siquidem aditum praebet ad libros Canonicos cognoscendos, germanumque illorum sensum; sed hic non est Catholico adquiescendum, namque oportet ultra progredi, et sola Dei loquentis auctoritate niti.

Observatio.

83. Vt aliquis assensiatur fide divina verbo Dei, haec quatuor requiruntur: 1. ut sit aliquod verbum Dei ab ipso revelatum: 2. ut hoc nobis sufficienter proponatur: 3. ut sit evidenter credibile: 4. ut adsit gratia Spiritus Sancti interna. His positis, quilibet de sua fide interrogatus, quomodo ad eam pervenerit? respondebit, per docentem Ecclesiam. Si vero quaeratur, quomodo sciverit Ecclesiam esse audiendam? respondebit, ex signis verae Ecclesiae. Postea interrogatus, quid crediderit? Statim respondebit, Verbum Dei ab Ecclesia propositum. Cui crediderit? tandem interrogatus, dicet, Deo revelanti. Veritas ergo Dei revelantis est ratio movens ad fidei assensum: Ecclesia vero manifesta credibilitate, docet rem credendam, et est causa cognitionis: ratio vero generans fidem in mentibus, interna est divini Spiritus gratia. Ex quo apparet, quod neque Ecclesia, quae plantat, est aliquid; neque motiva credibilitatis, quibus animus irrigatur, ut assensum praebeat Ecclesiae docenti; sed, qui incrementum dat Deus, cuius opus et donum est, ut credamus.

Quaest. An Concilium Tridentinum iure ac merito vulgatam latinam versionem declaraverit authenticam?

82. Sacros Scripturarum libros esse artis Christianae instrumenta, quibus animam nostram fabricamus, depravatam corrigimus, inveteratam renovamus, neminem christianorum, qui eos inspexerint, latet. Cum igitur ante Decretum Concilii Tridentini Sessione 4. plurimae latinae versiones circumferrentur, et nondum innotesceret, quaenam ex illis pro authentica habenda foret, idcirco Ecclesia in dicta Synodo legitime congregata, statuit et declaravit, ut vetus vulgata editio, quae longo saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata fuerat pro authentica haberetur in publicis lectionibus, disputationibus, expositionibus Theologicis, explosis aliis editionibus Latinis. Miramur ergo Protestantes, in quorum pseudo Ecclesiis nulla est auctoritas ad suas domesticas, et ad genium confictas versiones authenticas declarandas, criminari audeant Concilii Decretum, quasi non iure ac merito illud constitum fuerit. Missa ergo illa inter Doctores Catholicos controversia circa sensum, quo Concilium accepit verbum illud authenticon, repellere aggredimur novatores, stabiliteque haec duo capita:

1. Quod Concilium satis iuris habuit ad hanc declarationem: 2. gravissimis rationibus fuisse perductum. Dicimus igitur :

85. Iure, ac merito Sacra Tridentina Synodus Vulgatam latinam editionem *authenticam* declaravit.

86. Probatur Conclusio. Iure suo usa est Synodus in hoc decreto ferendo : namque cuius est ferre iudicium de Scripturis Canonicis, vero germanoque illarum sensu, illius etiam est iudicare in quanam earum versione, aut editione genuinus ille sensus contineatur, adeoque, quaenam pro authentica habenda sit : hoc autem ius pertinere ad Ecclesiam, sive generale Concilium, quod illam exhibet, vel ex eo patet, quod iudicium hoc, ut pote de seligenda fidei regula, cui Christiani omnes indivulsé adhaereant, nec ex ipsis Scripturis, nec ex privata cuiusque opinione ferendum sit.

87. Nedum suo iure usa est Ecclesia in decernendo instrumento publico et aprobato, cui fidem adhibeant Christiani; sed causas et rationes habuit aequissimas, scilicet utilitates inde hauriendas, et incommoda vitanda. Ea aetate multae spargebantur in vulgus latinae Versiones, nec innotescebat quaenam foret pro authentica, habenda : magnae ergo utilitatis fuit declarare, quaenam esset authentica, sicque Ecclesiae tranquilitati consulere ; eamque seligere, quae statim ac apparuit, obtinuit in Ecclesiis et praecipue á Saeculo 7. usque ad Tridentini celebrationem. Praeterea ex illa versionum varietate, Oriebatur magna confusio, praesertim, quia detortae videbantur licenter ad illius temporis haereses confirmandas. Prudentissimé igitur cautum á Tridentinis Patribus est, ut repudiatis latinis versionibus illis, quae incautis et simplicibus errores instillare poterant, retineretur in Ecclesiis sola Vulgata Latina, quae in omnium versabatur manibus longe ante exortas illius temporis haereses.

88. Obj. 1. Vt translatio quaelibet authentica declaretur oportet, ut cum archetypo conferatur, Patres autem Tridentini hanc collationem non fecerunt apographi cum authographo : ergo merito autentica declarata non fuit Vulgata latina.

89. R. Quod quando adest aliud medium ab ipsa collatione actuali nihil diferens, opus non est actu conferre translationem cum originalibus ad hoc ut versio autentica declaretur. Dum ergo Patres Tridentini pro Vulgata Sententiam tullerunt, declarantes eam esse instrumentum in iudicio dignum fide, cuiusque testimonium negari non deberet, prae

oculis habuerunt auctoritatem, quam olim habuit, et quod longo saeculorum usu in Ecclesia tamquam germana Originalis Scripturae versio habita fuerit. Hac auctoritate non pollebant editiones aliae latinae posthabitae. Hoc ergo satis fuit ad quaestionem dirimendam; ¿quaenam inter varias illius temporis editiones latinas praestaret? Nec enim scopus Concilii fuit declarare, quod vulgata praeferri deberet fontibus, cum quibus eam non comparavit: Sicque reliquit eos in sua, qua gaudebant auctoritate; quae non pugnat cum Vulgatae authenticitate, quia sunt generis diversi.

90. Obj. 2. Vulgata versio Latina pluribus scatebat erroribus, et multi huius tempestatis Catholici Doctores ultro fatentur aliquot extare menda, quae corrigi et emmendari poterant, non privata, sed publica Ecclesiae auctoritate: non potest igitur authentica esse, perperamque, ut talis á Tridentino fuit declarata.

91. R. Quod Concilium vulgatam declaravit authenticam salva futura codicum emmendatione per alios Codices accuratiores, et melioris notae: Si vero in his extabant quaedam hebraico textui non omnimode consona; haec diversitas non est in dogmatibus et regulis morum, quia in his semper fuit omnimoda conformitas in utroque testamento, sed in levioribus, et accidentalibus rebus. Post varias ergo correctiones diversis temporibus factas á Summis Pontificibus Pio 4. Pio 5. Sixto 5. et Clemente Octavo, repurgata fuit á pluribus vitiis, quae librariorum incuria irrepserant. Si autem nunc extant quaedam menda grammaticalia, et leviora, nihil in textu mutandum est sine Ecclesiae auctoritate; et si quae sint rationes et coniecturae, modesté proponendae sunt, et iudicium Ecclesiae expectandum, ut cauté sciteque monet Natalis Alexander.

92. Obj. Editionis Vulgatae auctor, quicumque ille fuerit, labi potuit, quia non infalibili Dei afflatu movebatur, sicut permoti fuerunt Sacri Scriptores: igitur, si absque scrupulo possumus illum reprehendere, desereregue, ¿quo merito ut authenticam declaravit hanc versionem Tridentinum?

93. R. Quod licet auctor Vulgatae Editionis potuerit quidem absolute labi; tamen lapsus non fuit, cum opus eius Catholicae Ecclesiae usu et auctoritate probatum fuerit. Huic igitur editioni ab Ecclesia consecratae primas deferendas esse, nihil est quod dubitemus, adeundos que fontes, eruditionis causa, et ut felicius contra fidei adversarios disputetur, vel

etiam infideles alienae linguae instituantur; non vero absoluta necessitate. Propter has causas Vienense Concilium in Clementina 1. titulo de Magistris, statuit ut in universitatibus Bononiensi, Parisiensi, et Salmaticensi parantur trium linguarum Doctores, qui earum peritiam studiosa instructione in alios transfunderent. Magnopere igitur aestimandae sunt novorum interpretum Catholicorum commentaria ubi linguarum peritia resplendet, nam ex illis commoda plurima eruuntur ad Sacras litteras intelligendas, et cognoscendas voces, phrases, et proverbia illarum linguarum. In praefatione editionis Romanae Biblior. iuxta Tridentini Decretum, quod executioni mandari fecit Pius 4. haec memorabilia verba habentur. Aliquod S. R. E. lectissimis Cardinalibus, aliisque tum Sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis Viris collata provincia, ut Vulgatam latinam editionem adhibitis antiquissimis Codicibus manuscriptis, inspectis quoque hebraicis, graecisque Bibliorum fontibus, accuratissime castigarent.

APPENDIX.

Testamentum Vetus.

94. *Genesis*, á coeli terraeque generatione sic dictus, liber est, qui refert prima rerum exordia, Diluvium, confusionem linguarum, divisionem gentium, et Patriarcharum vitas usque ad mortem Iosephi. Iuxta hebraicam supputationem quam sequitur Vulgata latina editio, continet historiam 2370. annorum.

95. *Exodus*, mirabilem recitat Israêlitarum exitum ex Aegipto, Legislationem, et Tabernaculi erectionem. Complectitur historiam annorum 145.

96. *Leviticus*, ut eius nomen indicat, fere totus occupatur in officiis, Sacrisque unctionibus Sacerdotum ac Levitarum. Singula Sacriffitia, vestes Aaron, et totus ordo Leviticus. Coelestia spirant Sacramenta, ut ait Hieronymus Epistola ad Paulinum.

97. *Numerorum* liber, sic dicitur, quod in ipsa eius fronte totius populi calculum iniisse referantur Moyses, et Aaron. Earum rerum historiam continet quae Israelitis in deserto acciderunt per annos circiter 39.

98. *Deutoronomium* quod redditur *secunda lex*, exhibet repetitionem, legisque in Exodo promulgatae explicationem in

eorum praesertim gratiam, quorum parentes perierant in deserto; parentes quidem qui primam publicationem audierant. Historiam unius mensis, et aliquod dierum continet; mortem que Moysis.

99. *Iosue*, seriem continet rerum ab hoc Moysis Succesore gestarum per annos 17. Transitum nempe Iordanis; Civitatum Iericho, et Hai expugnationem; stantem Solem, plurimos Reges debellatos, et terram Chanaan sorte divisam inter duodecim Tribus Israel.

100. *Iudicum* liber, exhibet, in rebus gestis ab ipsis Iudicibus, mirabilem vicissitudinem prosperitatis et afflictionis Haebraeorum, quarum altera, alteri identidem succedebat, prout, mira inconstantia, populus ille nunc deficeret ad idololatriam; nunc suis malis pressus suspiraret ad veri Dei auxilium, et misericordiam. Texitur in illo 317. annorum historia á morte Iosue, usque ad finem Samsonis.

101. Liber *Ruth*, particularem continet historiam illius *Moabitidis*, quae ex Socrus suae Noêmi Concilio recumbens ad pedes affinis sui Boozi, nuptias ab eo adepta est mira Supernae providentiae dispositione: Hoc que pacto inter progenitrices David, et subsequentium Regum Iuda, ipsiusque Iesu Christi illustrem obtinuit locum.

202. Ex libris quatuor *Regum*, priores duo dicuntur apud haebraeos libri *Samuelis*, posteriores Regum. *Primus* Historiam exhibet Heli pontificis, Samuelis, atque Saulis per annos 101. *Secundus* Seriem regni Davidici per 40. annos repraesentat. *Tertius* Regnum Salomonis, eiusque sub Roboamo divisionem recenset; historiam praeterea *quatuor* Regum Iuda, et *Octo* Regum Israel usque ad Achab; insuper vitam *Eliae* Prophetae, eiusque prodigia: Complectiturque 126. annorum spatium. *In quarto libro*, texitur historia 16. Regum Iuda, ac 12. Regum Israel tum etiam *Elisaei* Prophetae per annos 380. (Sub *Sedecia* ultimo Regum Iuda templum fuit eversum, Civitas omnis Ierusalem Succensa, et muri diruti.).

103. Libri duo *Paralipomenon*, qui etiam *praetermissorum*, dicuntur, continent omnem Scripturarum eruditionem, et historias quae in suis locis praetermissae fuerant. Sic in 1. compendio repetuntur generationes ab Adamo usque ad Davidem, et huius res gestae, per annos 2991. *Alter* historiam attingit ceterorum omnium Regum regni utriusque, Iudae, et Israel per 479. annos. Absque his libris difficile est Scien-

tiam Scripturarum comparare, namque sunt totius divinae historiae Cronicon.

104. Ex *duobus* Libris *Esdrae*, *primus* exhibet reductionem populi Israel é captivitate Babilonica, instructionem eiusdem per Esdram legis Doctorem, resque praecipuas, quae centum fere annorum spatio, illi populo contigerunt. *Secundus*, qui liber *Nehemiae* dicitur, historiam duodecim annorum continet, reaedificationem Hierosolymae, et correctionem malorum, quae absente Nehemia suborta fuerant, repraesentat.

105. Duo Machabaeorum libri Iudaeorum historiam sub Monarchia Graecorum continent, res que ab Asmonaeis praeclarissimé gestas pro Religione, et libertate populi Dei. In 1. enarrantur strenua facta Matathiae, filiorumque eius Iudae Machabaei, Ionathae, et Simonis per seriem circiter 33. annorum. 2. res ab altiori exordio repetens, recenset, quae in priori narrata sunt, exhibet que invictam virtutem Eleazari, et Matris Septem filiorum, qui vulgo Machabaei dici solent. Diversa est in utrisque annorum supputatio, namque prior Alexandrinam exhibet, posterior Chaldaicam epocham; unaque ab altera sesqui anno discrepat.

106. *Tobiae* liber narrat huius viri virtutem, et probationem: ministerium Archangeli Raphaelis, monita salutis á Patre filio data, commendatque Sancti coniugii honestatem. Contigit haec historia sub ea captivitate, in quam decem Tribus abductae sunt sub Salmanazar Assiriorum Rege, in cuius conspectu dedit gratiam Deus.

107. Liber *Iudith*, mirabilem coedem Holofernis per manus huius viduae, exhibet, urbisque Bethuliae liberationem. Non satis liquet ad quod tempus referenda sit haec historia. Suspicatur Huetius elucubratam captivitatis tempore ad erigendos spe Israelitarum animos: Communior tamen sententia est, temporibus Manassis Regis Iuda contigisse: Arphaxatque Medorum Regem Deiocem esse Herodoti Libris celebratum.

108. Liber *Esther* repraesentat superbiam et crudelitatem Amanis, vindicatam, Mardochei et Estheris exaltationem, miram Iudaeorum liberationem ab exidio, festivitatemque *phurim*, seu Sortium institutionem. De tempore huius historiae non satis constat: Communior opinio tenet *Asueri nomine* designari Darium Histapis filium, quartum Persarum Regem.

109. *Iob* liber, qui primo loco inter doctrinales recenseri solet ab aliquibus, proponit invictam Sanctissimi huius

viri patientiam, probatissimam virtutem, et sublimissimam dissertationem de Divina erga pios providentia. Eius antiquitas non obscure colligitur ex quo in hoc libro nulla sit legis mosaysae mentio. Moyses huius libri auctor creditur, eumque illum scripsisse cum degeret inter Madianitas et dum recens erat harum rerum memoria. Singula verba plena sunt sensibus, et corporum resurrectionem sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit, ait de hoc Libro Hieronymus.

110. Liber *Proverbiorum*, sive parabolae Salomonis, omne genus hominum instruit, et praesertim eos qui se conferre incipiunt ad correctionem morum, virtutis disciplinam, et serium Dei cultum.

111. *Ecclesiastes*, seu Concionator, est alter Salomonis liber destinatus praecipue proficientibus in Dei via, eiusque Scopus in eo versatur, ut rerum temporalium, et mundi contemptum, atque Dei unius cultum persuadeat.

112. *Canticum Canticorum*, seu canticum prae ceteris praestantissimum, est divinum quoddam, et plane sublime Christi cum Ecclesia ut Sponsa colloquium, quo sub figura nuptiarum Salomonis cum filia Regis Aegyptiorum ob oculos ponitur vitae spiritualis perfectio, et intima quaedam charitatis unio inter Christum et Ecclesiam, et unamquamque animam devotam. » Salomon pacificus, et amabilis domini.... Ec» clesiam iungit et Christum, Sanctarumque nuptiarum dul» ce canit Epithalamium", ait de hoc egregio dramate Sanctus Hieronymus.

113. *Sapientiae* liber, hortatur ad studium et amorem Sapientiae; eius originem, fructus, et effectus exponit, quippe quae Adamo, iustisque omnibus adfuerit, et Hebraeos per solitudinem duxerit, atque servarit. Idololatrarum insipientiam traducit, docetque iustorum finem optimum fore, pessimumque Impiorum.

114. *Ecclesiasticus*, qui sententias quam plurimas é Proverbiis, ex Ecclesiaste, et ex Libro sapientiae in hunc librum transfert, mores mirificé instruit, laudabiliaque commemorat facta proavorum Siracidis hierosolymitani, cui tribuitur hoc opus.

115. Liber 150. *Psalmorum*, cuius praecipuus scopus sunt Christus, et eius Ecclesia, summam utriusque Testamenti continet, mores instruit, Deum deprecatur, rerum gestarum historiam oculis mentis subiicit, et Christum eiusque Eccle-

siam praenuntiat: fidem excitat, spem erigit, charitatis ignem accendit, sensum pietatis, et affectus in Deum commovet, homines que pios ad Coelestem patriam properantes per huius mundi desertum mirifice consolatur figuratis saepe verbis aeternam felicitatem adumbrans: aperire, namque arcana Coelestia, et aeternae vitae delicias, Evangelio erat reservatum.

116. *Isaias* filius Amos, primus inter Prophetas maiores, cuius elogium Ecclesiastici 48. continetur, merito Propheta Evangelicus á SS. PP. appellatur, quia tam aperte de Vocatione gentium vaticinatur, et fere omnia Christi mysteria complectitur, partum ex Virgine, vitae miracula, passionem, Ecclesiam toto orbe diffusam, ut potius historiam rerum gestarum commemorare, quam futuram Prophetiam scripsisse videatur. Dissertus, et elegans, Iudaeos reprehendit, et utroque regno Israel, et Iuda minas intentat, plagasque praenuntiat. Eloquentia rerum maiestati aptata, mentem sursum tollit, et cor simul penetrat.

117. *Ieremias* Propheta Lamentans, quinquaginta duobus prophetiae suae capitibus, quatuorque Threnorum, sive Lamentationum, exhibet, deploratque Iudaeorum scelera, Babilonica captivitate punienda. Multa hic de Christi adventu, vocatione gentium, veteris legis abrogatione, novique foederis sanctione, apertissimé cap. 31. praenuntiantur. *Baruch* discipulus, et Scriba Ieremiae, librum quemdam scripsit, qui Ieremiae nomine interdum á Veteribus citatur, et eidem veluti eius appendix adiungitur, populum in Babilone captivum excitat ad Deum placandum idololatriae fuga, sinceraque cordis contritione. Insignis est Baruchi prophetia illa: „post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus."

118. *Ezechiel* Babilone captivus sub multiplici rerum verborumque figura, Iudaeae comminatur eadem fere mala, quae eodem fere circiter tempore Ieremias Hierosolymis apertius praedicebat. Multa interim adjungit spectantia ad regnum Messiae, vocationem gentium per Apostolos piscatores, et foedus novum á Deo Sancitum.

119. *Daniel* vir desideriorum, futurique temporis conscius, non solum scribit Christum esse venturum, quod est commune cum ceteris Prophetis; sed etiam aperte, quo tempore venturus sit, docet, ut ait S. Hieronymus in proemio Commentarii in Danielem. Mortem Messiae, urbis Hierosolymae excidium, et quatuor Monarchias sub quibus vitam acturi erant Iudaei tam vivis coloribus exprimit, ut non res

gerendas, sed potius gestas oculis subiiciat. Cum â Deo in sacco, et cinere veniam pro contribulibus suis postularet, et libertatem quae per Hieremiam post 70. annos promissa fuerat, ad sublimiora raptus mysteria, praestantiorem libertatem, et alium quoque annorum numerum 70. nimirum hebdomadum angelus aperuit, quibus expletis venturus est, Christus, Sanctus Sanctorum.

120. *Oseas*, qui vaticinari coepit temporibus Ieroboami 2, agit adversus idololatriam decem tribuum Israel, adumbrans eam sub typo mulieris meretricis: Tribus quoque Iuda captivitatem, eiusque liberationem annuntiat. Monet insuper ut ad Deum suum toto corde revertantur, poenitentibus promittens gratiam. Ab Israele secundum carnem ascendit ad Spiritalem et verum Israelem, populum scilicet Christianum conflandum ex innumerabili gentium multitudine et paucis Iudaeis sub eodem capite. Patet hoc ex versibus 10, et 11. capitis 1. quos S. Petrus, Ep. 1. C. 2. v. 10. et S. Paulus ad Rom. 9 v. 25. exponunt de Ecclesia Christi et Gentium Vocatione. Sicut ergo naturales Iudaei et Israelitae sub uno capite Zorobabele in patriam suam ex Captivitate Babilonica remearunt; ita Iudaei, et Gentiles spirituales Israelitae sub eodem capite Christo, eiusque Vicario Summo Pontifice ascendent de terra ad Coelestem gloriam, *quia magnus dies Iezrael*; quod interpretatur *Semen Dei*. Magnus igitur dies ille, quo semen Dei benedictum germinabit, florebit, fructificabit.

121. *Ioël*, praedicit regiones Iudaeorum devastandas per erucam, bruchum, locustam, et rubiginem, hoc est per varias Chaldaeorum irruptiones; et sub hoc typo describit excidium universi, et iudicium extremum, adhortans omnes ad lamenta et poenitentiam, quâ Deum offensum placare, plagasque, intentatas avertere festinent. Poenitentibus promittit salutem per Cyrum, et multo magis per Mesiam Cyri antitypon. Post eversionem prioris populi promittit *Spiritum Sanctum* effusum iri super omnem carnem, quod vaticinium nascente Ecclesia impleri coeptum est, ut docet Princeps Apostolorum Actorum 2. et usque hodie completur.

122. *Amós*, Pastor et rusticus Israeli captivitatem Assiriacam praenunciat, et Iudae Babilonicam. Hi opibus suis gloriabantur, quare docet illos has opes beneficio Dei se consecutos esse, atque adeo brevi tempore superbiae suae, et ingratitudinis poenas esse daturos. Promittit deinde, Israeli iam purgato, novam instaurationem, bonorumque omnium af-

fluentiam per Messiam Christum. S. Jacobus in Concilio Hierosolimitano (actor. 15. v. 16.) exposuit regnum David á Christo fuisse instauratum, cum in Ecclesiae Corpus adduxit non Israelem modo sed nationes omnes. Sicque Amosi vaticinium v. 11. cap. 9. impletum manet in Ecclesiae Christianae institutione.

123. *Abdias*, brevissimus omnium Prophetarum numero verborum, sed cuivis aequalis gratia mysteriorum, Cap. unico praedicit cladem Idumaeis imminentem, quia barbaris se adiunxerant, ut Iudaeos fratres suos opprimerent. Insignem v. 17. de Messia prophetiam inserit: namque salvatio quae fuit, ad litteram, populo Dei sub Cyro in monte Sion, spectat etiam Ecclesiam, quae in monte Sion fundata est cum Spiritus Sanctus in Apostolos et fideles die Pentecostes illapsus, postea in orbem universum effusus est, ut cum Sancto Hyeronymo docent Theodoretus, Rupertus, et alii plerique.

124. *Ionas*, Ninivitis praedicans gentium vocationem, fuit in hoc typus Iesu-Christi; proiectusque in mare, et post triduum é ventre Ceti vivus prodiens, futuram Christi passionem, et resurrectionem praefiguravit, ut ipse Dominus testatur Mathaei 12. v. 40.

125. *Michaeas*, invehitur idololatriam Tribuum Iuda, et Israel, sic que utriusque captivitatem praenuntiat, his per Assyrios, illis per Chaldeos. Laetum reditum é Babilonia per Cyrum promittit; sed laetiorem ex servitute peccati, mortis, et Diaboli per Christum, quem in Bethelehem nasciturum praedicit: Dissertis etiam verbis docet caracteres verae Christi Ecclesiae cap. 4.

126. *Nahum* Vaticinatur gravem Dei iram atque vindictam adversus Ninivem, quia licet Ionae predicatione ad poenitentiam conversa fuerat, postmodum tamen ad crimina declinaverat attrociora. Versu 15. cap. 1. praedicitur per sensum historicum fuga, et interitus Sennacherib: sed merito Apostolus ad Romanos 10. ad Christum eiusque Ecclesiam refert Nahumi verba: » Ecce super montes pedes Evangeli» zantis, et annuntiantis pacem &c ».

127. *Habacuc*, praedicit Ierosolimae, et Iudaeae excidium per Chaldaeos, et deinde Chaldeorum eversionem, et Iudaeorum liberationem per Cyrum et Persas: pangit etiam, atque depingit insigni carmine totius humani generis libertatem per Christum, huius nativitatem, vitam passionem, et

mortem, ut exponit S. Paulis ad Rom. 1. v. 17. et ad Haebreos 10. V. 38.

128. *Sophonias*, qui proponit iudicium Dei tam contra Iudaeos, quam contra gentes caeteras, solatur illos spe reditus é Babilonia sub Cyro, et é servitute diaboli, sub Christo et per Christum: Reliquiae Israel, ait cap. 3. non facient iniquitatem, nec » loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lin- » gua dolosa.» Haec fuit vita primorum Christianorum.

129. *Aggaeus* frivolas Iudaeorum excusationes de instauratione templi diutius differenda, elidit: Principi autem Zorobabeli fabricam resumenti promittit Messîam ex eius stirpe nasciturum, qui templum illud sua praesentia, doctrina, et miraculis reddet gloriosius, quam fuerit Salomonicum: Thronum quoque regni sui, subactis gentium regnis, extollet. cap. 2. ait: Haec dicit Dominus Exercituum: adhuc unum modicum tempus: et ego commovebo Coelum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes: et veniet desideratus cunctis gentibus: et implebo domum istam gloria, dicit Dominus Exercituum.

130. *Zacharias*: in hoc uno, quasi in memoriali, seu compendio reperitur quidquid per coeteros Prophetas sparsim praedictum fuit á Deo. Monet Iudaeos ne idola, et vitia maiorum imitentur, quorum acerbam punitionem, exilium, et captivitatem viderunt. Praedicit varios eventus Iudaeis obventuros usque ad Christum, maxime quatuor Monarchiarum successiones, Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, et Romanorum, quae desinent in Regnum Christi, cuius vitam, et passionem, pené instar Evangelistaé recenset. Speciminis loco sit illud capitis 9. v. 9: » Exulta satis filia Sion, iubila filia » Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus et Salvator: ipse » pauper, et ascendens super Asinam, et super pullum filium » Asinae.« Quemlocum de Christo Ierosolymam Dominica Palmarum gloriosé invecto, interpretantur S. Mathaeus cap. 21. et Ioannes Evangelista cap. 12. et Orthodoxi omnes.

131. *Malachias*, ultimus Prophetarum, instaurato templo per Zorobabelem, et florente iterum Synagoga, inter alia praedicit abolendum Sacerdotium, et Sacrificium Aaronicum, eique substituendum aliud Eucharisticum á Christo, quod nulla offerentis iniquitate pollui possit, et per omnes gentes Deo, á solis ortu, ad ocasum usque, offeratur. Sic versib. 10. et 11. cap. 1. legimus: » Non est mihi voluntas in vobis, dicit » Dominus Exercituum, et munus non suscipiam de manu ves-

„ tra. Ab ortu enim solis usque ad ocasum est nomen meum „ in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomi„ ni meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in „ gentibus dicit Dominus Exercituum.“ Non enim hoc loco fit sermo de laudis sacrificio, sed de pura victima, ut cum Tridentino Sessione 22. cap. 1. expresse docent omnes Orthodoxi.

Novum Testamentum.

132. Totius Novi Testamenti scopus est demonstrare Iesu-Christum Salvatorem nostrum esse verum Messiam á Prophetis praenuntiatum, in illo que completa esse, quae in veteri Testamento vaticinata sunt de venturi Mesiae origine ex Davidis stirpe, conceptione, et nativitate ex Virgine, de eius Divinitate, Vita, Doctrina, Miraculis, Morte, Resurrectione, et in Coelos Ascentione: De necesitate credendi in ipsum ut Mediatorem inter Deum, et homines; de vocatione gentium: De moribus primaevorum Christianorum, fervore, mutua charitate, et in fide constantia.

133. *S. Mathaei Evangelium*, ab ipso fuit conscriptum rogatu Discipulorum, et aliorum Apostolorum. Incipiens ab humana Christi generatione, narrat eius vitam, passionem, mortem, et resurrectionem. Finis eius praecipuus est, sub hominis figura, quam vidit Ezechiel Propheta inter quatuor mystica animalia, ostendere Iesum esse Messiam, Legislatorem et Prophetam in Lege, et Prophetis promissum. Maxime insistit Matthaeus in moribus Christiani hominis efformandis.

134. *S. Marcus*, abbreviator Matthei eiusque interpres, adumbratusque ab Ezechiele sub facie *Leonis*, praecipue in id incumbit, ut ostendat Iesum Christum esse Supraemum Moderatorem ac Dominum. Hinc imperium illud quo expellebat Daemones ab energumenorum corporibus, et Divina illa potestas ad fugandas febres, et remittenda peccata. Hinc potestas illa, qua Christus mortem morte sua destruxit, et devicto eius imperio, surrexit vivus, et ascendit in Coelos perpetuo regnaturus.

135. *S. Lucas*, professione Medicus, et comes individuus Pauli, cuique aptatur *facies Vituli* ex visione Ezechielis, stylo prae coeteris elegantiore demonstrat praecipue, Christum Iesum esse verum totius mundi Salvatorem. Hoc inter alia probat per eius praedicationem, admirabilemque illam benevolentiam erga peccatores illos ad poenitentiam excitando; et

ex Sacro-Sanctae Eucharistiae institutione, qua tamquam Divina alimonia animas Christus pascit; imo ex effusione oblationeque Sanguinis in Ara Crucis qua Patri nos reconciliavit.

136. *S. Ioannes*, dilectus Christi Discipulus, qui fluenta Evangelii, ex ipso Sacro fonte Dominici pectoris, in ultima coena potavit, Evangelium eo fine scripsit, ut sub figura *Aquilae* adstrueret Iesum esse Deum, et Dei Filium. Altius ceteris Evangelistis se attollens incipit ab aeterna Christi generatione. Exhibet summam Christi humilitatem in passione sua, cum infinito amore et heroica patientia coniunctam, ut probet eius divinitatem. Hoc ipsum conficit ex eius Resurrectione, atque remittendi peccata potestate quam post suam Resurrectionem impertitus est Discipulis suis, Spiritum Sanctum in eos insuflando. Propter hanc doctrinae sublimitatem Theologus per excellentiam vocatur S. Ioannes, qui contexit historiam priorum potissimum duorum annorum praedicationis Iesu-Christi, quos fere intactos reliquerant alii Evangelistae.

137. *Actus Apostolorum* Liber, conscriptus est á Luca Evangelista mira brevitate, et perspicuitate. Complectitur haec Historia primam Ecclesiae Christianae infantiam, et simul perfectionem fidelibus á Spiritu Sancto inspiratam per praedicationem Petri et Pauli, brevissimo 30. fere annorum curriculo, Ecclesia Christi, quam Iudaei optabant extinctam, atque sepultam cum Cruce, et morte ipsius, subito maximis incrementis aucta, ampliata et stabilita, manet nunc, manebitque nobilitata continuis, victoriis de suis persecutoribus. Devixit Graecorum inanem sapientiam, subegit Romanorum potentiam, et in praecipuis Orbis partibus triunfavit Apostolorum predicatione.

138. *Sancti Pauli Apostoli* 14. Epistolae non uno eodemque tempore scriptae sunt, nec ordine quo in Bibliis conspiciuntur. Longum esset singularum argumentum exhibere: sufficiat ergo dicere, quod generale illarum argumentum est triplex. *Primum* est, promulgare, explicare, et inculcare sinceram fidei morumque Doctrinam, ad quam per orbem evulgandam á Christo missi erant Apostoli. *Secundum argumenti* genus, est impugnare Iudaismum, convellere que ritus, et ceremonias iudaicas per Christum abrogatas. *Tertium* est, haereses tunc nascentes suffocare, et fideles praemunire adversus nascituras, cum oporteat haereses esse.

139. *Iacobi Apostoli* Epistola, est una ex Septem Catho-

licis. Agit de tentationum origine, de linguâ refrenanda, de unctione infirmorum, et praecipuè de fide mortua, hoc est de fide nuda, et absque operibus, quam Simon Magus docebat sufficere ad salutem, ex male intellectis Pauli epistolis ubi fidem Christi extollit mire, deprimitque opera legis Mosaycae. Deinde vituperat contentiones, et ad virtutem hortatur. Sub iudice lis est quisnam sit eius auctor, an Iacobus *maior* Zebedaei filius, an vero Iacobus filius Alphaei, cognatus Christi, dictusque minor, quia vocatione fuit altero posterior.

140. *Sancti Petri* epistolae duae diversis temporibus scriptae sunt. Tota *prima* epistola celebrat Dei admirabile consilium in verbi incarnatione, passione, mundi redemptione, iudaeorum et gentium ad fidem Christi vocatione: mores ad Christi legem efformat, hortans omne hominum genus ad obedientiam, prudentiam, vigilantiam in orationibus, charitatem, temperantiam, et patientiam. *In* 2. Christi commendat gratiam, quae facit socios et participes divinitatis homines ea gaudentes, eos elevando ad statum supernaturale, et divinum. Docet etiam adversus Simonem Magum, eiusque sequaces bonorum operum necessitatem, et praesertim caritatis et beneficentiae. Denique horrorem extremi iudicii contra Gnosticos inculcat, namque hi, et alii negabant corporum resurrectionem, et futuram vitam, more pecudum vitam agentes.

141. *Sancti Ioannis tres epistolae.* In his prosternit haereses Ebionis, Cerinti, Simonis, et Basilidis. In 1. quae 5. capitibus clauditur demonstrat adversus Ebionem et Cerintum Iesum-Christum esse Verum Deum et verum hominem, qui Sanguinis sui effusione á peccatis homines mundavit et aeterno Patri reconciliavit: docet etiam adversus Simonianos praxim omnium virtutum, et praecipue mutuae dilectionis et beneficentiae, sicque bonorum operum necessitatem. In *altera* hortatur Electam, ut vitet Basilidem eiusque sectatores, et constanter perseveret in fidei integritate, et charitate sincera de qua eam gratulatur. *In* 3. demum, quae ut praecedens unicum continet caput, laudat Gaium ob fidem suam consertam in Deum, eius pietatem, et hospitalitatem erga Christianos peregrinos; et ad constantiam hortatur.

142. *Epistola Iudae Apostoli*, (qui Thaddaeus etiam dicitur) magnam affinitatem habet cum 2. Petri non tantum in argumento, sed etiam in verbis, sic que haereticos eosdem

impugnat, eorum vitam moresque detestando, fidelesque monendo ut ab ipsis caveant. Hortatur proinde ad fructum bonorum operum, ad correctionem aliorum, ad Dei glorificationem, et ad perseverantiam in fide. Commemorat altercationem Michâelis Archangeli cum Diabolo de Moysis corpore; et Enochi *prophetia* de *Iudicio extremo*, quia hoc negabant Gnostici. Haec brevis, sed fecunda epistola, primaria fidei Christianae mysteria, morumque praecepta paucis verbis complectitur.

143. *Apocalypsis S. Ioannis*, totius Theologiae medullam, et Evangelicae philosophiae nucleum continet. Sub sex propheticis, et enigmaticis visionibus praedicit varios universae Ecclesiae status usque ad finem mundi, maxime vero plagas et signa praeambula extremi iudicii, adventusque Antichristi, qui crudelitatem inauditam adversus Ecclesiam exercebit. Narrat Henochi, et Eliae predicationem, martirium et resurrectionem; Antichristi interitum, universale iudicium, et Gloriam beatorum aeternam. Sicut in Evangelio historicus describit Ioannes primum Christi adventum; ita ut Propheta depingit in Apocalypsi adventum eius secundum. Liber iste, ut ait Hieronymus epistola ad Paulinum, tot habet Sacramenta, quot verba. Sapientissimum in hunc commentarium edidit Doctissimus Bosuetus Meldensis Episcopus.

Scholion.

144. Haec, quae de Libris Veteris Novi que Testamenti delibabimus ex clarissimis Duhamelio, et Danesio, reperientur fusiori calamo delineata in doctissimis Gravesonio, Tirino, et Calmeto: Interim concludamus verbis Augustini et Hieronymi. Litterae hae sunt, quae de Coelesti Civitate nobis venerunt: in quibus profunda quidem sunt mysteria, sed ea quae ad hoc absconduntur, ne vilescant: ad hoc quaeruntur, ut exerceant: ad hoc aperiuntur ut pascant. Oramus ergo vos fratres charissimi, inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil aliud quaerere. ¿Nonne nobis videmur iam habere in terris regni coelestis habitaculum? Discamus, ergo, in terris, quorum scientia nobis perseveret in Coelo.

145. Ne deterreamini, quod Scripturae sint plerumque obscurae. Obscuritatis illius radices videbitis ex tribus capitibus oriri, 1. ex natura ipsius Scripturae, ubi vel futura praedicuntur, vel mysteria fidei altissima: 2. ex diversitate

illorum quibus eloquia Dei communicata sunt: 3. denique ex modo loquendi per allegorias, et figuratas locutiones. Cur vero voluerit Deus hanc obscuritatem? vobis quaerentibus, in promptu sex repetietis esse praecipuas. 1. ut labore domita superbia, nobis subministraretur honestae occupationis occasio; intellectusque noster, cui plerumque vilescit facilis, et prompta investigatio, revocaretur á fastidio. 2. ut quod obscure dictum apparet, Deo mirabiliter dispensante, multipliciter exponatur, quemadmodum docet magnus Gregorius, in caput 3. Ezechielis. 3. ut mysteria divina illa obscuritate velata indignis celarentur. 4. ut agnoscentes Dei Sapientiam infinite superare imbecillitatem nostri intellectus, recurramus ad eam cum Davide humiliter postulantes, quod apperiat nobis occultorum sensum. 5. ut studiose quaesita veritas, suaviter demulceat dum invenitur. 6. ut juxta Chrisostomi insinuationem hom. 23. in Matthaeum, inconfusus, et inperturbabilis permaneret pulcherrimus Ecclesiae ordo ex Doctoribus et Discipulis constitutus, ut illi illumineant, hi vero illuminentur.

CONSPECTUS LIBRI TERTII.

In quaedam capita et propositiones tributus.

De Verbo Dei Tradito: Caput primum á n. 1. ad 11.

A Verbi Dei traditi definitione, utilitate, atque necessitate incipientes, gradum facimus ad eius divissiones. *Triplex religionis revelatae status* nos ducit cum clarissimo Bergierio ad traditionis partitionem *in domesticam, in nationalem, et in universalem.* Deinde traditio ex parte *auctoris* á quo profluit dividi solet *in divino-apostolicam, puré apostolicam, et Ecclesiasticam.* Ex parte *materiae* in traditionem tribuitur *fidei, morum, et disciplinae*: Priores duae species huius divisionis insigniri solent nominibus traditionis *inhaesivae, declarativae*, et *meré Oralis.* Ratione *loci* dividitur traditio in *generalem*, et *particularem*, ex quibus quaedam sunt *liberae*, quaedam *necessariae.* Haec omnia selectis quibusdam exemplis illustrantur.

Caput secundum á n. 12. ad 18.

Quaedam stabiliuntur regulae ad discernendas Divinas traditiones ab Humanis, reserantur que viae, quibus praeter singularem Dei providentiam conservatae sunt traditiones absque confusione, permixtione que cum privatis revelationibus, cum quibusdam traditionibus piis, et cum Vulgi credulitatibus. Sic quidem quidquid fide credendum, vel divino servandum est praecepto, certó agnoscunt Christiani Catholici.

Propositio unica á n. 19. ad 34.

Extitit Verbum Dei traditum, existitque hodie, idoneusque locus est ad Controversias in Ecclesia dirimendas.

De Patribus Ecclesiae: Caput primum á n. 35. ad 36.

Quum Veterum Ecclesiae Patrum scripta loca tutissima sint ex quibus eruitur traditio, permaximé oportunum est de illorum auctoritate brevi pertractare calamo, quidque Patrum nomine intelligatur, et in quo Patres á Doctoribus dif-

ferant, quas vé qualitates in utrisque Theologi requirant, exponere.

Caput secundum á n. 37. ad 43.

Patres intuendi sunt, ut traditionis et fidei suorum temporum testes, ut Scripturae Sacrae interpretes, et ut privati Doctores earum opinionum, quas fovent. Quamvis in hac triplici consideratione non una sit Patrum auctoritas, duo vitanda sunt extrema vitia, vel pro nihilo habere Patrum auctoritatem, vel illam absque delectu pro certa semper habere. Patres quidem non sunt orbis Magistri cum auctoritate decisiva docentes; unanimis tamen eorum in rebus fidei, morum, et praxium publicarum consensus, exploratissimum est indicium traditionis, et certissimum testimonium quo dogmata catholica confirmentur.

Caput tertium á n. 44. ad 45.

Vt ordine, ac methodo fiat Patrum lectio quidam observandi sunt Canones, quos septenario comprehendimus numero. Si quae vero reperiatur sententia, quam Ecclesia velut aliorum Patrum sensui contrariam reiicit, refellatur quidem sententia, non Pater, quemadmodum fecit Augustinus de Cypriani doctrina circa rebaptizationem agens.

Propositio unica á n. 46. ad 56.

Unanimis Sanctorum Patrum Consensus in dogmate aliquo, fidei que regula certum facit in Theologiae negotio argumentum.

De Ecclesia Jesu-Christi: Caput primum á n. 57. ad 59.

Quae Dominus Voluit credere, agere que fideles, ad ipsos per limpidissimum Ecclesiae militantis canalem derivatur, ideo que summa pollet auctoritate Corpus hoc sive dispersum per orbem, sive in Conciliis congregatum. Nunc sub primo illud considerantes adspectu, eius membra, et caput, eius affectiones notasque praecipuas percurrimus.

Caput secundum á n. 60. ad 62.

Notionem Ecclesiae, quatenus societatem complectitur

fidelium in terris militantium, exhibemus. Ex illa fluit, *primo*, omnem societatem Christo posteriorem non esse ipsius veram Ecclesiam: *secundo*, aditum ad Ecclesiam non fieri, nisi per baptizmum: *tertio*, Ecclesiam corpus quoddam visibile, et animatum esse, et quaedam illius membra Vinculis quidem externis devincta permanere, veluti peccatores, qui renovato virtutis amore per poenitentiam, fieri possunt viva membra, et interius communicare cum Iesu Christo, veluti fideles illi, qui á vera caritate non deficiunt.

Caput tertium á n. 63. ad 65.

Qaum igitur integritas, et sanctitas morum haberi non possit absque fide in Christum, doctrina quae Evangelica: Sequitur 1. fideles ad Ecclesiam ingressos teneri ad hanc doctrinam perdiscendam, ad eam operibus sectandam, et integram fidem Christo praestandam: 2. quod Pastores, quibus Christus suam Ecclesiam commisit, docere debent Cives Ecclesiae revelatam doctrinam puram et integram, horum civium moribus invigilare, mores que suos ad sacrae doctrinae normam exigere. Haec *docendi*, *regendi que auctoritas*, quam Christus Verbi eius concredidit ministris, vocatur *auctoritas Ecclesiae Catholicae*. Tanta est auctoritas haec, ut sit Scripturae, et traditionis interpretandae certa, et publica regula, ne facile in diversos sensus traherentur cuiusque privati auctoritate.

Caput quartum á n. 66. ad 70.

Omnis societas, ut conservetur, sub aliquo debet esse Rectore. Hinc Christus ligandi, et solvendi potestatem, quae propria Iudicis regentis est, Petro et ceteris Apostolis tradidit, et ob hanc rationem ab ipsis Christianismi initiis Pontifex, et Episcopi Ecclesiam rexerunt. Ad iura Sacerdotii, sine quibus religio servari non potest, pertinet conservare integram fidei, morum, et disciplinae doctrinam, christianos que cogere ad religionis unitatem. Ex quo veró Ecclesiae regimen penes Episcopos sit, concludendum non est illud esse *aristocraticum*, ceu apud Magnates, quia licet Apostoli pari potestate sint á Christo missi, hodie que mittantur Episcopi illorum succesores, Petrum tamen constituit Christus tamquam principem et Caput totius Senatus Apostolorum, et qui Petro in Episcopatu succedunt, in eodem succedunt principatu. Neque ex hoc inferri debet regimen Ecclesiae Monar-

chichum esse, quia Episcopi veri sunt suarum Ecclesiarum Pastores, et non Summi Pontificis Vicarii, adeoque, solum salva aliorum Episcoporum auctoritate, dici potest propter Primatum Episcopus universalis. Magni Theologi Pontificis infallibilitatem agnoscendam esse tuentur, ut Primatus consectarium, sic que Papam esse supra Concilium; sed alii aeque magni Theologi, salva fidei compage, negant infalibilitatem Pontificis. ¿ An etiam Papa ratione Primatus possit Reges deponere, quaestio adiaphora est magno aestu agitata.

Caput quintum á n. 71. ad 78.

Genuina Primatus Pontificis Summi iura his continentur. *Primo*: Tenetur ad conservandas Christianae societatis leges, sic que omnino standum est Decretis eius provisionalibus, eis que parendum donec controversia ad liquidum perducatur. *Secundo*: Quamquam Pontifex non sit ultimus controversiarum Iudex, praecipuas tamen partes habet in iudicando, sic que has, ut magni momenti revereri tenentur omnes, provisoriè que obsequi ad plenariam usque Ecclesiae vel dispersae, vel in Conciliis congregatae definitionem. *Tertio*: Si ob haereticorum contumaciam opus sit generali Concilio, Pontifex Romanus potest, ac debet, Concilii congregationem procurare. *Quarto*: Ex quo Papa est Ecclesiasticae unitatis centrum, ad eum referendae sunt gravioris momenti caussae. *Quinto*: Sapienter, et iusta de causa dispensare potest in Legibus ab universa Ecclesia latis. *Sexto* denique: Summo Pontifici non solum auctoritas inspectionis, et vigilantiae, sed iudicium etiam extremum instantiarum competit. Quum ex urbe romana excierint, qui primi fidem in Italia, in Hispania, Gallia, et Germania nuntiaverunt, dicta fuit *Mater, et Magistra* ceterarum: *unitatis* etiam *centrum*, ex quo omnibus praeesset, iure que invigilaret. Defuncto Papa iurisdictio in Ecclesia manet, quia nec soli Petro, nec alicui Apostolorum claves tradditae fuerunt á Christo ad solvendum, et ligandum, sed universitati Ecclesiae. Romani Pontificis in Petri Pontificatum successio ex Christi est instituto: ratio vero successionis ex facto Petri ortum habuit.

Caput sextum á n. 79. ad 82.

Ad perfectam auctoritatis Papae cognitionem scire oportet duplicem personam illum agere, Doctoris scilicet privati, dum ad instar alterius eruditi Praelati Libros edit; vel pu-

blicae personae, dum procedit ut Iudex, et Legislator. Sub primo adspectu non plus auctoritatis habet, quam quilibet scriptor: Vt personae publicae, sive causas mere privatas dirimentis, sive causas, quae consequtive ad universam Ecclesiam pertinent, magni habendae sunt, et revereri eius decisiones. Qui derogare auderent Papae auctoritatem in publicis iudiciis, quae vel in totam Ecclesiam, vel in partem eius insignem redundant, temerarii, impudentes, et irreligiosi censendi forent, tractandi que, ut sediciosi, et rebelles pacem Ecclesiae absque debita subiectione perturbantes. Quae Pontifex, ut Legislator decernit, circa dogmata, circa mores, et disciplinam revereri tenentur fideles, nec facilé illum erroris insimulare. Pléna potestas propositiones censurandi, quâ ut Doctor publicus gaudet Summus Pontifex non uno, eodemque modo exercetur, eius tamen qualificatio magna obtemperanda est reverentia. Responsa Pontificis ad unius, alteriusvé Episcopi consulta non sunt oracula pro tota Ecclesia, quibus credendi obligatio insit: potiori ratione idem de iis dicendum est, quae non interrogatus de suo adiicit, vel quae obiter tangit, vel cum rationes, quae suadeant adducit. Qui Summi Pontificis de re quacumque iudicium sine delectu defendunt, hi sedis apostolicae auctoritatem, labefactant, non fovent: evertunt, non firmant, ut docet clarissimus Canus. Iura Sumi Pontificis ex quadruplici eius dignitate oriuntur, namque urbis Romae districtusque illius *Episcopus* est: *Metropolita* Romanae provinciae, et regionum Suburbicariarum: totius Occidentis *Patriarcha*, et *Primas* universalis Ecclesiae.

Caput Septimum á n. 83. ad 89.

Satis huc usque de Ecclesiae regimine, de iuribus ac dignitatibus Capitis eius visibilis: nunc de membris agentes, illud prae oculis habendum Paganos, et illos, qui nusquam doctrinam Evangelicam audierunt, non esse membra Ecclesiae, quia non fit aditus ad eius societatem nisi per Baptismum: Ex quo vero in Ecclesia initiati per baptismatis Sacramentum debent in Christum credere, mandatasque eius observare cum subiectione ad legitimos pastores, liquido apparet, nec Hebraeos, nec Mahumedanos, nec Haereticos, nec Schismaticos ad Ecclesiam pertinere. Peccatores incorregibiles,

donec recipiscant, extra Ecclesiam loco Ethnicorum locati sunt. Breviter, nervoséque confutatur monstruosa illa, et á communi sensu aliena Ecclesiae notio, quam dedit minister Iurieus in execrando quodam opere *Veri Systematis Ecclesiae* inscripti, quo per Ecclesiam intelligit Omnium Sectarum collectionem, dummodo in ea sit Veritatum fundamentalium professio cum participatione Sacramentorum cuiuscumque sectariae societatis, et adhaesione ad cujuslibet sectae pastores.

Caput octavum á n. 90. ad 110.

Sensibilia verae Ecclesiae signa, cum illa veré coniuncta, et per quae omnibus patet sunt quatuor, quod est scilicet una, Sancta, Catholica, et Apostolica: privatum autem examen verae doctrinae, et legitimi usus Sacramentorum, omnium captui non est accommodatum. *Una* est Ecclesia, quia eamdem habet fidei professionem, eorumdem usum Sacramentorum, et eamdem coniunctionem cum suis pastoribus, quorum Sacerdotalis unitas á Petri Cathedra exorta est. Qui fidem Christi violant, aut illius vinculum per generale vel particulare Schisma scindunt, salutem consequi non possunt, nisi ad fidem, et communionem redierint. *Sancta* dicitur Ecclesia propter Sanctitatem doctrinae, quam profitetur, propter leges, quibus regitur, propter Sacramentorum usum, cultumque divinum, et propter capitis Sanctitatem, ad quam vocatur, ac denique propter miraculorum Sanctitatem, quae consequitur ex ipsa fidei unitate. *Catholica* est, quia ab ipsis temporibus apostolicis societates hominum cuiuscumque tribus, et nationis in omnibus mundi partibus, ad quas Evangelium pervenit, unanimi consensu communicant inter se, cum suis pastoribus, eorumque Primatu, et usque ad mundi finem communicabunt absque ulla dissentione in una fidei, morum, et disciplinae professione: Unde affixa non est uni loco, uni nationi, uni saeculo. *Apostolica*, demum appellatur, non solum ratione originis, et doctrinae, sed etiam ratione pastorum sibi continua serie succedentium per legitimam missionem. Haec quidem nota constituitur primo per originis antiquitatem ab ipsis ductam Apostolis: Deinde per succesionem pastorum non interruptam, et denique per legitimam vocationem ad ministerium praedicationis Evangelicae doctrinae ab Apostolis disseminatae.

Caput nonum á n. 111. *ad* 113.

Affectiones Ecclesiae praecipuae, sunt illae dotes quae cum illa indivulsé cohaerent, velut quod sit visibilis secundum statum eius exteriorem, quod sit perpetua; et indefectibilis in externa etiam fidei professione, Evangelii praedicatione, Sacramentorumque administratione, ac denique, quod immunis manens ab omni circa fidem, et mores errore, controversiarum sit Iudex vivus, qui sensum, intellectumque verbi Dei adaperiat, in quo veritas potissimum consistit.

Propositio prima á n. 114. *ad* 128.

Unanimis Ecclesiae per orbem diffusae consensus firmum Theologo praestat argumentum ad fidei morumque dogmata comprobanda.

Propositio secunda á n. 129 *ad* 143.

Summus Pontifex Primatum honoris, et auctoritatis in Ecclesia universa habet, et iure quidem divino.

DE VERBO DEI NON SCRIPTO, ID EST DE *Traditione.*

1. Praeter Verbum Dei scriptum, quod Sacrae Scripturae nomine venit, est etiam Verbum Dei *Traditum viva voce, ac velut ex aure in aurem á maioribus ad posteros Transmissum.* „Traditio nuncupatur, quod Apostoli vel ex ipsius „Christi ore, vel Spiritu-Sancto dictante hauserunt, non ut „litteris consignarent, sed ut aliis quasi per manus traderent, „ab ipsis quidem conservandum, et posteris tradendum." Quae ad fidei, morum, et disciplinae doctrinam pertinentia divinitus acceperant Apostoli, partim litteris commiserunt, partim viva tradiderunt voce, non tam credentium multitudini, quam illis praesertim, quos sibi elegerint in docendi munere succesores, ne propter arcani disciplinam Sacro-Sancta mysteria emanarent in vulgus. Ea est vis, utilitasque traditionis, ut in ea omnem Ecclesiae infallibilitatem positam esse defendat magnus Holdenius, (in Analysi Fidei L. 1. Cap. 8. lect. 4.) quia ipso Apostolorum tempore, Scripturas libros Apostolicos esse crediderunt Ecclesiae, ex quo illorum doctrina cum tradita congruebat.

2. Quidam clarissimus proximi elapsi Saeculi Scriptor, de Traditione Verba faciens, non dubitavit asserere, quod institutio plenaria omnis Christiani hominis pro quacumque controversia emergente, pro quacumque sedanda dissentione, pro quacumque profligamda haeresi, aut male sana doctrina non in sola reperitur Scriptura Sacra. Hoc probat plusquam octodecim Saeculorum experientia: probant que tot Sectae simul cum Luthero exortae, quae non potuerunt ex Scripturis convinci, licet omnes conentur in illa se fundare. Salubriter ergo providit Deus, ut veritas, et disciplina Evangelii continerentur in *Libris Scriptis, et sine Scripto Traditionibus*, ut docet Tridentina Synodus Sess. 4. Habemus, siquidem, in Traditionibus non additamentum Divinarum Scripturarum, sed earum complementum, et quasi commentarium digito Dei consignatum, non in tabulis lapideis, sed in Ecclesiae visceribus, cui ad eum finem promissit Sancti Spiritus praesentiam, et asistentiam.

3. Revelata Religio triplicem statum habuit, ait cl. Ber-

gierius; videlicet legis naturae ab Adamo ad Moysem; legis hebraicae, á Moyse ad Christum; et legis Evangelicae, á Christo ad nos usque. Mundus itaque, antequam Moyses scriberet, fuit puero similis, qui per aetatem nondum adeptus est, ut ad Scholam mittatur, ideoque tantum á parentibus et nutrice per *traditionem domesticam* eruditur. A tempore vero Moysis fuit similis puero ad Scholam quidem eunti, nec dum satis quae dicuntur intelligere valenti, nisi per *traditionem nationalem.* Post Christi adventum similis est adolescenti, qui ea, quae á praeceptoribus tradita sunt, etiam si ardua intelligere ac diiudicare valet per *traditionem universalem*, sed ex parte duntaxat, donec in altera vita in virum perfectum evadat, et nemine exterius docente, omnia per se ipsum in Verbo Divino clarissimé cognoscat.

4. Doctrina ergo non consignata scripto canonico, sed divinae auctoritatis á maioribus ad posteros derivata considerari etiam potest, vel *ratione auctoris á quo prfluit*, vel ex *parte materiae*, vel pro *ratione loci*. Traditio ex *parte auctoris* á quo manat, dividi solet á Theologis in *Divino apostolicam*, *in puré apostolicam*, *et in Ecclesiasticam*. Divino apostolica est, quam Christus ipse Apostolis, ut eius praeconibus commendavit ad posteros transmittendam, et ab ipso Spiritu Sancto acceperunt post Christi ascensionem. *Purae apostolicae* nuncupantur, quae posteris commendarunt Apostoli, ut rectores Ecclesiae. Vtriusque Traditionis meminit Paulus 1. Corinth. cap. 9. v. 3. cum ait, *praecipio*, *non ego*, *sed Dominus*: (En Divino Apostolicae.) *Ceteris ego dico*, *non Dominus.* (En pura apostolicae.) Apostoli duplicem gerebant personam, et Christi praeconum, et Pastorum Ecclesiae. Quae ab Apostolis, sub primo aspectu, promanarunt, sunt perpetuae durationis, et causam habent perennem, ut in Ecclesia serventur. Non esse admittendos nisi quatuor Evangelistas: Non plura, nec pauciora septem, esse novae legis sacramenta: Beatam Virginem Mariam ante partum, in partu, et post partum Virginem permansisse: infantes ese baptizandos, nobis innotescit ex traditione Apostolorum, ut sunt Christi praecones. Ab Apostolis, ut pastoribus, accepimus quaedam ad tempus stabilita, ut trinam in baptismate inmersionem: Laicorum sub utraque specie communionem: Agapes, seu communes mensas post Eucharistiam: mutua oscula post praeces, aliaque, quae in Ecclesiae potestate sunt. *Ecclesiasticae tra-*

ditiones appellantur, quae ab Apostolorum successoribus instituta sunt ad Ecclesiasticae hierarchiae regimen, et ad formam exteriorem divini cultus. Hujus generis sunt antiqui Ecclesiae mores, qui tacito Episcoporum et plebis Christianae consensu vim legis obtinuerunt.

5. Traditio ex *parte materiae* dividitur in *Traditionem fidei*, *morum*, et *Disciplinae*. *Fidei traditio*, ad ea fidei dogmata pertinet, quae non nisi traditione habentur ut quatuor esse Evangelia. Haec fidei traditio insigniri solet nominibus traditionis *inhaesivae*, *declarativae*, et *puré oraculis*, ut adnotavit Gauterius. Apellatur *inhaesiva*, quando illud met tradit, quod clare scriptum est, ut traditio de Christi resurrectione, vel de *authenticitate* Evangelii S. Ioannis, quia inhaeret Versui 24. capitis ultimi. *Declarativa*, explanat, quod breviter, aut minus clare in Scripturis continetur, ut traditio de reali praesentia corporis Christi in Eucharistia, quia sensum explicat horum verborum, *HOC EST CORPUS MEUM*. Illa etiam de baptizandis parvulis declarat versum 5. Ioannis cap. 3. Per hanc declarativam Scimus Versum 54. Ioannis capite 6. de solis adultis intelligi, sic que parvulis Eucharistiam non esse necessariam. *Mere oralis* est, quae nec implicité habetur in Sacris paginis: Sic egré ex illis erui potest Sacramenta quaedam, baptismum videlicet, confirmationem, et ordinem semel tantum recipi posse.

6. Illa *moralis traditio* appellatur, quae in morum informatione consistit. Haec etiam, ut traditio fidei appellari solet inhaesiva, declarativa, et mere oralis. *Inhaesivam* dicimus, dum tradit quod in scripturis clare habetur: Sic moralis traditio de hominis probatione ad Eucharistiam percipiendam inhaeret versui 28. cap. 11. 1. ad corinthios, ubi Paulus ait, *probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat.* Apellamus *declarativam* dum explanat, quod minus clare habetur in sacra pagina: Sic traditio docens, quod illa probatio ad Eucharistiam fiat per confessionem peccatorum mortalium, si adsint, explanat textum Apostoli, ubi hoc probationis genus minus claré continetur: et *purae oralis* etiam: nam quod confessio sit per specificam et individuam peccatorum expressionem, fiatque auricularier, non habetur in Ecclesia, nisi per traditionem mere oralem.

7. *Disciplinaris traditio* ea continet, in quibus est summa rituum disciplinae Ecclesiasticae, qui ritus observantur in Sacramentis administrandis, et in Sacris peragendis. In dis-

ciplinae traditionibus quaedam referuntur ad Apostolorum institutionem ut Ecclesiae rectorum, ut Caerimoniae Missae, admixtio aquae in calice ante consecrationem, Eucharistia á ieiuniis percipienda, memoria defunctorum in Liturgia, signum Crucis in fronte formandum, observatio diei Dominicae, et ieiunii quadragesimalis, et huiusmodi alia. Quaedam etiam pertinere censentur ad traditionem Ecclesiasticam, ut quatuor temporum ieiunia, ciborum delectus, Anniversariae solemnitates, consuetae variarum rerum benedictiones &c.

8. *Ratione loci* dividitur traditio in generalem et particularem. *Generales* sunt, quae ubique obtinent, causamque habent perennem, et communem, ut ab omnibus serventur, desumunturque ex Divinis, puré apostolicis, et Ecclesiasticis. *Particulares* appellantur, quae certis tantum locis vigent, quarumque ratio non est omnibus communis, qualis fuit olim Romae observatio ieiunii die sabbato. Harum traditionum universalium et particularium, quaedam sunt *necessariae*, quia ex praecepto servandae, ut festorum observatio, abstinentia á carnibus statutis diebus: aliae *liberae*, quia sunt ex consilio latae, velut consuetudo crucis signandae in fronte, candelarum, cinerumque benedictio, aquae lustralis aspersio &c.

9. Priusquam ad alia transeamus, opere pretium esse duximus proferre exempla quorumdam, quae nec claré, nec obscure in Sacris litteris continentur, sed per traditionem accepta habemus. In Evangelistis non reperiuntur haec verba: *Mysterium fidei, et aeterni Testamenti*, quibus profitentur Sacerdotes Christum usum fuisse in Calicis consecratione. Nec etiam habentur haec alia: *Elevatis oculis ad Deum Patrem suum.* Nesciremus etiam precibus implorandum esse Sanctorum Martyrum auxilium, celebrandas eorum memorias, imagines venerandas esse, in Sacrificio Eucharistiae sanguinem simul cum corpore confici, et sumi debere á Sacerdotibus, si horum notitia ex sacris litteris dessumenda foret. Haec Canus. L. 3. Cap. 3. probat. 3.

10. Materias et formas Sacramentorum confirmationis, ordinis, Extremaeque unctionis Apostoli á Christo, nos ab Apostolis accepimus, ait cl. Canus. A Christo etiam Domino acceperunt Matrimonium, confirmationem, unctionem que extremam esse Sacramenta, quae ipse quidem instituit, et Apostolis commissit administranda, sicut alia Sacramenta, quorum ipse solus est auctor, sic que in his divinis institutis

nihil habet Ecclesia potestatis, praecipué postquam instituta sunt.

11. Ab his vero, quae ad Ecclesiae utilitatem ipsi Apostoli Sancto Spiritu suggerente ediderunt, ut populi rectores, potest Ecclesia fideles eximere, vel populi contrarius mos abrogare. Sic trina immersio in baptismi Sacramento ab Apostolis tradita per contrariam consuetudinem abolita est. Antiquo more, Apostolica que institutione á principio nascentis Ecclesiae communio totius populi, qui Missae Sacrificio interat, exigebatur; Chrisostomi tamen aetate praeceptum hoc relaxatum fuit, et adstantium voluntati permissum, namque Diaconus ad communionem alta voce invitabat, non cogebat.

12. Ex his, quae dicta manent liquido apparet origo traditionum Divinarum, et Apostolicarum, quam haeretici videre nolunt. Namque quaecumque audivit Christus á Patre non scripsit, sed praedicavit: Apostoli, et Christiani his coaetanei, hanc Christi doctrinam exceperunt, ea que sola, et cum nulla esset Scriptura per plures annos moderata fuit Ecclesia Christiana. Ratio autem Divinas traditiones discernendi ab humanis, seu Ecclesiasticis, ex veterum petenda est Ecclesiarum consentione, quae in sequentibus regulis continetur.

13. I. Dogma, quod universa tenet Ecclesia, perpetuoque amplexata est, licet in Sacris litteris non reperiatur, Divinae et Apostolicae traditionis est. Ratio prioris est, quia cum Ecclesia columna sit, et firmamentum veritatis, errare non potest. Hinc Iraenaeus Lib. 1. adversus haereses cap. 2. docet, ex Ecclesiarum consensu iudicari debere de fide, quam Ecclesia per Orbem diffusa accepit ab Apostolis, eorumque Discipulis. Posterioris ratio est, quia Ecclesia diversis distincta saeculis, una est: atque adeò doctrina, quam quovis admissit saeculo divina est, et Apostolica, quamvis nulla eius mentio in Scripturis fiat. Quare Lirinensis cap. 2. Commonitorii haec scribit: *In ipsa Ecclesia Catholica magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.*

14. II. Praxis, quam Deus solus instituere potest, sive quae quovis saeculo in universa Ecclesia obtinuit, et in Conciliis non fuit instituta, etiam si eius sit generis, ut ab Ecclesia institui potuerit, ex Apostolica venit auctoritate. Primum ex Augustino suadetur, qui, ut ostendat praxim bapti-

zandi infantes auctoritatis esse Divino Apostolicae, inquit, Lib. 10. de Genesi cap. 23: *Consuetudo Matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequamquam spernenda est, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio.* Idem Augustinus Libro 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. docet secundum, his verbis: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis statum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Ex hac regula veré aurea colligimus, cum cl. Cano, Minores ordines ex auctoritate Apostolica descendisse. In hoc enim casu nullum est fundamentum iudicandi, quod ab Ecclesia fuerit instituta praxis de qua quidem agitur.

15. Ex his duabus regulis aperte fluit humanam Ecclesiasticamque esse traditionem illam, cuius initium in statutis reperitur Patrum, aut in Conciliorum Canonibus, aut in Decretis Summorum Pontificum, quia Ecclesia non alias agnoscit revelationes, nisi eas, quas Apostoli aut verbo, aut Scripto reliquerunt. Doctrina etiam, quae in una particulari reperitur Ecclesia, non divina, sed humana est; non tradita, sed inventa. Ieiunium Sabbati Romae non obligabat Mediolani, sicque Ambrosius venusté aiebat: *Cum Romam venio, ieiuno Sabbato: Cum hic non sum, non ieiuno.* Consuetudo ergo illa romani territorii particularis erat. In celebri etiam S. Cypriani Carthaginensis Ecclesiae Episcopi controversia cum S. Stephano anno 257, ille doctrinam suae particularis Ecclesiae de rebaptizatione allegabat, *sed non obtinuit, quia eam non accepit Catholica Ecclesia pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit,* ut docet S. Augustinus L. 2. contra Cresconium cap. 32. Humanum quid sapere, quod cum Scriptura non concordat, ex eo patet, quod verbum Dei traditum pugnare nequit cum verbo scripto ipsius Dei, qui sibi non contradicit.

16. Praeter singularem Dei providentiam erga Ecclesiam, cui promissit, numquam illi defuturam in necessariis, sunt etiam varia humana adminicula quibus illibatae conserventur traditiones. Quamvis enim non fuerint consignatae in Sacris Codicibus, asservantur tamen in Veterum Doctorum monumentis, in actis Conciliorum, in Pontificum Decretis, in Ecclesiasticarum rerum historiis, in Libris Ritualibus et Pontificalibus. Praetera, praecipua Religionis capita tam connexa sunt cum ritibus, ut nemo ea ignorare, nemo possit oblivisci. Per crucis signum in fronte memoria fit Trinitatis, Incarnationis, et Redemptionis generis humani. Dum Christia-

ni septem Sacramenta frequentant, preces Deo fundunt pro defunctis, dum Sanctos colunt, eiusque reliquias venerantur, dum ieiunia observant, dum festorum solemnitates celebrant, nihil aliud peragunt, quam traditiones perennare. Pastores item, qui populos erudiunt, novitatis ossores contradicunt nimia diligentia veritatisque zelo.

17. His certis viis ducti Christiani Catholici certó agnoscunt quidquid fide credendum, vel divino praecepto servandum est, et ad posteros viva voce, et sine scripto canonico transmittendum. Si quae vero privatae revelationes postmodum factae sint, ut Sanctae Brigittae, S. Catharinae Senensi, aliisque huius generis, hae ad fidem catholicam non pertinent, quamvis sint ab Ecclesia approbatae, quia haec approbatio id solum praestat, quod nihil contineant, fidei et bonis moribus adversum. Item dicimus de piis traditionibus illis, quae licet momentum habeant ad pietatem excitandam, ideoque Bullis Pontificiis roboratae appareant, tamen non proponuntur, ut observantiae saluti aeternae necessariae. Hae tamen confundendae nullo modo sunt cum piis Vulgi credulitatibus, quae falsae, superstitiosae que sunt, nec respondere possunt sano Ecclesiae consilio, quae sustinet pias illas traditiones, ut Lauretanae Domus translationem. &c.

18. Postquam non levi calamo exposuimus, quid Traditionum nomine veniat, illarum originem, et utilitatem, quae sint earum species, quibusdam exemplis selectis rem illustrando: regulas certas dedimus quibus agnoscantur divinae, et Apostolicae, secernantur que ab humanis et Ecclesiasticis: Singularem insuper Dei providentiam in traditionibus perennandis ostendimus, vias reserando, quibus conservantur absque confusione et permistione cum piis traditionibus, quas Ecclesia sustinet, et multo minus cum Vulgi credulitatibus. Nunc illud superest examinandum, ¿an tota doctrina revelata, quam Christus, eiusque Apostoli praedicarunt, Libris consignata sit canonicis? Non diffitemur Omnia, quae viva voce docuerunt fideles, scribi potuisse, sed nullibi legimus Omnia Scripta esse. *Praecipua causa Sectariorum*, ut animadvertit Lirinensis in Commonitorio, *est quia traditionem universalem respuentes, fateri noluerunt illam unam fidem, quam per totum orbem terrarum confitetur Ecclesia*: Existentiam, ergo, et auctoritatem Traditionis paulo uberius prosequamur.

Quaest. An praeter verbum Dei Scriptum, extet etiam Verbum Dei Traditum?

19. Nihil frequentius in Novatorum ore fuit, quam illud Calvini Libro 4. Institutionum cap. 8.: *Est igitur hoc firmum axioma, non aliud esse tribuendum Dei Verbum, quam quod Lege primum et Prophetis, deinde Scriptis Apostolicis continetur.* Catholicorum invictis argumentis ad angustias redacti, eo devenerunt quidam litterati haeterodoxi, ut faterentur partem aliquam revelationis non fuisse scriptam, sed traditam, ad nos tamen non pervenisse illibatam. Hac vero cavilatione id solum conficitur, scilicet quod desit medium certum Traditiones discernendi, minime vero quod non existant: Aliud namque est asserere non extare Traditiones, et aliud asseverare ita permixtas esse, ut nullatenus distingui possint. Cum vero maiores nostri ab ipsis apostolicis temporibus aureum illud habuerint criterium, *auctoritate apostolica id esse traditum, quod universa tenet Ecclesia, semperque ab omnibus retentum est*; facile patet longe á vero aberrare illud haeterodoxorum inane subterfugium. Errorem omnium heterodoxorum communem, quem sibi proprium fecit Calvinus convellere nitimur hac conclusione.

20. Extitit Dei Verbum traditum, existitque hodie, idoneusque locus est ad controversias in Ecclesia dirimendas.

21. Probatur haec conclusio. Cum haec facti quaestio sit, et facta ex testibus probentur idoneis in quibus certa repeviatur notitia ed fidem faciendam, operae pretium est eorum auctoritatem Veterum producere, qui Apostolis, aut coaevi, aut proximi fuerunt. Nimis longum foret omnium testium loca proferre: Pauca, ergo ex multis, quae apud Polemicos videri possunt, afferamus. Iustinus Martir, qui proximus fuit Apostolis, et praecipue illorum Discipulis, Apologia 2. scribit, Christum docuisse Apostolos, ut in diebus Dominicis post concionem offerrent panem, vinum, et aquam, nec licere cuiquam, nisi baptizato participare de Eucharistia: quae tamen in Scripturis non reperiuntur. *Postridie*, inquit. *Saturni, qui solis dies est, cum Discipulis suis apparuisset, haec illis tradidit.* Irenaeus, qui traditiones non scriptas passim haereticis opponit, et docet, quod ubi quaestio de fide aut moribus movetur, recurrendum sit ad vetustissimas Ecclesias, ut earum testimonio controversia finiatur: Haec inter alia, ait, L. 3. cap. 4: „Cui ordinationi assentiunt multae gentes, barba-

» rorum eorum, qui in Christum credunt sine charta et at-
» tramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis
» salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes."
Tertullianus pluribus in locis, et praecipue lib. de Corona Militis sic fatur: »Hanc observationem, si nulla Scriptura deter-
» minavit, certe consuetudo corroboravit, quae sine dubio de
» traditione manavit: ¿Quomodo enim usurpari, quid potest,
» si traditum prius non est? Cyprian. epist. 63. qui ex ip-
» so Apostolo hanc vim traditionis probat, ita concludit. » Tanta
» est vis in traditione, ut quos nec Scriptura, nec naturae
» ratio movisset, eos Apostolus existimarit Ecclesiarum more,
» et consuetudine revincendos.«

22. Eadem est vox Lirinensis, Basilii, Epiphanii, Chrisostomi, Augustini, Hieronymi aliorumque Patrum. Persuasum igitur fuit toti veteri Ecclesiae Verbum Dei traditum extitisse, idoneumque locum esse ad controversias dirimendas per quatuor 1. saecula: Cum igitur hodie, sicut in illa aetate, Scriptura non contineat ea omnia, quae Ecclesiae Ministris sunt necessaria, nec Scriptura ipsa, eiusque sensus haberi possit citra traditionem, haec que in Ecclesiae visceribus digito Dei scripta sit, quia magis Deo, quam hominibus incumbit cura eius sponsae, verbi que illius non scripti conservatio; nihil est quod metuamus, ut oblivione deleantur usus Ecclesiae non interruptus, et haereses ipsae, quae Apostolorum instituta oppugnarunt, et ex quibus discitur, quae fuerit antiquae Ecclesiae fides, quae instituta. Qui ergo rogabit Patrem, ut alium Paraclitum Apostolis daret, ut cum illis maneret in aeternum, est ille ipse, qui nunc Ecclesiam suam regit, et tuetur, et vult illam tutam esse ab haereticorum erroribus. Idcirco, ut haeretici semper habiti sunt ab Ecclesia traditionem, reiicientes, quia Deo loquenti per vivam eius internuntii vocem credere renuerunt.

Objectionibus fit satis.

23. Obj. 1. Cuncta credenda et agenda Sacra Scriptura continet: igitur sufficit Scriptura, et inutilis est traditio: maxime vero cum traditio sit quid mere humanum, cum ab ore hominum habeatur, qui cogitant et iudicant prout illis placet. Sic argutatur Calvinus.

24. R. Quod Scriptura continet omnia, quae omnibus

et singulis sunt necessaria absolute, simpliciter; non tamen continet omnia, quae Ministris Ecclesiae sunt necessaria. Traditio ergo divina, vel apostolico-divina in se spectata continet veritates ab ipso Christi ore promanatas; quo ad propositionem vero et manifestationem est quid humanum, quia illud ipsum quod Christus propalabit, et Apostoli auribus suis exceperunt, per ipsorum os ad discipulos manavit, qui per seriem non interruptam Ministrorum, habentium in Ecclesia potestatem, ad nos usque hunc sacrum depositum transmisserunt.

25. Obj. 2. Plurima sunt Scripturae loca, quibus prohibitae sunt Traditiones á Moyse, á Paullo, et ab ipso Christo. Sic Deutoronomi 4. v. 2. legitur, non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Paulus 2. ad Timotheum. cap. 3. vv. 16. et 17. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in justicia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Matthaei 15. v. 3. Christus Pharisaeos increpat dicens; *quare* et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Ergo traditio prohibita est ex quo extitit Scriptura Sacra.

26. Respondeo, quod Moyses non dixit non addetis ad verbum quod *scribo* vobis, sed ad verbum quod vobis *loquor*: insuper prohibet additionem traditionum legi Dei repugnantium, et quae ab hominibus sine missione divina proficiscuntur. Paulus commendat ibi utilitatem Scripturae ad officia docendi, corripiendi et erudiendi, sed non asserit *solam* ad hoc sufficere. Ipse Apostolus in ipso loco verbum Scriptum et non Scriptum complectitur, loquitur enim de disciplina per doctrinam, et de disciplina per institutionem, cum ait: *Tu autem assecutus est meam doctrinam, et meam institutionem.* Nec aliter loqui poterat qui epistola ad Thesalonicenses rotunde Scripserat: » *Tenete traditiones, quas accepistis,* » *sive per epistolam nostram, sive per sermonem.*" Christus autem Matthei 15. non exprobat traditionem ab ipsius ore ad aures Apostolorum manantem, sed de falsis Pharisaeorum traditionibus, ait namque *propter* traditionem vestram. Sit igitur regula generalis ad solvenda omnia loca in quibus videtur reprobari traditio velut innecessaria, sermonem esse de traditione verbo Dei contraria, et ex propria auctoritate Scripturae addita.

27. Obj. 3. SS. PP. docent ad nihilum traditiones fuisse

necessarias ex quo extitit Scriptura in qua continentur omnia ad salutem necessaria: Sic August. 1. de Doctrina Christiana Cap. 9. ait: In Scriptura inveniuntur illa omnia quae continent fidem, moresque vivendi. Hieronymus in 23. cap. Matthaei: Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Alii PP. similia proferunt.

28. R. Augustini mentem esse, Scripturam continere omnia fidei et morum praecepta, quae omnibus et singulis sunt absolute et simpliciter necessaria, ut praecipua Symboli Mysteria quorum explicita fides est cuique necessaria, ac morum principia in Decalogo contenta: nullatenus vero vult Augustinus, quod in Scriptura sint dogmata quaedam, ut quod rebaptizari non debeant, iam baptizati, vel omnes conclusiones, quae ex decalogi praeceptis deducantur. S. Hieronymus qui traditionum auctoritate pugnavit in primis, adversus Luciferianos, Helvidium et Vigilantium, solum exagitat eos qui ex Libro quodam apocripho contendebant Zachariam Barachiae Patrem esse Ioannis Baptistae. Verbo: Patres, aut Scripturae auctoritatem opponunt testimonio alicuius privati; aut humanas excludunt traditiones, quibus sufficiens dest auctoritas.

29. Obj 4. S. Cyprianus epistola 74. ad Pompeium dicit, credendum esse soli Scripturae: Cum enim S. Stephanus in suo rescripto ad Cyprianum dixisset, *nihil innovetur, nihil servetur nisi, quod traditum est*, Cyprianus sic in illa loquitur epistola: ¿ Vnde ista traditio? Ea facienda esse, quae scripta sunt, Testatur Deus.

30. R. S. Cyprianum in eo facti errore versatum esse, quod crederet traditionem ab Stephano productam esse mere humanam, et contrariam Scripturae: Sic enim in eadem epistola Sthephani agendi rationem arguit: ¿ *Quae ista obstinatio est, quae praesumptio, humanam traditionem divinae dispositioni anteponere?* Per hunc errorem, cui adhaesit ante Concilii universalis decissionem, non desseruit Cyprianus Ecclesiae unitatem, nec in schisma, aut haeresim incursus fuit, ut passim docet Augustinus. Cyprianum vero dominicas traditiones agnovisse patet ex epistola 63. ubi ait: *Admonitos nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, ut calix mixtus vino offeratur.*

31. Obj. ultimo. Fidelium praxis sub una specie communicandi aperte pugnat cum Scriptura dicente Ioan. 6. v. 54. nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius

sanguinem non habebitis vitam in vobis. Quemadmodum ergo Ecclesia hujus temporis cum Scripturae contemptu hanc praxim induxit, ita dicendum de traditionibus quas pro divinis venditat.

32. R. Quod licet in duodecim primis Saeculis Eucharistia sub utraque specie fuerit distributa, tamen priscis illis temporibus sola panis species infirmis deferri consuevit, quin et fideles persecutionum tempore solam speciem panis deferebant opportuno tempore domi sumendam. Ad disciplinam ergo mutationi obnoxiam pertinere iudicavit semper Ecclesia hanc rem. Cum illa Ioannis verba, fere iisdem concepta, simillima sint his aliis Ioannis 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in *Regnum Dei*; poterat quis littera inspecta, colligere Eucharistiam necessariam esse necessitate medii ad Salutem, quemadmodum baptismus: Ad veram igitur et genuinam Scripturae intelligentiam necesse est recurrere ad verbum Dei traditum, quod cum illa simul asservatur ab Ecclesia Christi Sponsa.

Observatio.

33. De testibus divinarum Traditionum, qui sunt Ecclesiae Patres et Doctores sequenti agimus tractatu: Nunc animo sane attento sequentia consideremus oportet Quaestio illa mere Scholastica, an dentur traditiones dogmaticae mere orales, á verbo Dei separatae, quarum neque obscura quidem mentio fiat in Sacris paginis? magnas rixas non meretur. Illud quibusdam videtur vix ostendi posse articulum Christianae religionis, quod meré orali traditione nitatur; licet sint quaedam dogmata, quae neque per consequentiae, neque per interpretationis regulas ex Sacra Scriptura deduci possunt. Egré quidem ex illa erui potest Virginem Mariam Christi matrem usque ad obitum, Virginem permansisse: Sacramenta quaedam bis recipi posse, quaedam vero semel tantum: Valere baptisma haeretici, aut mulieris. Sic rationibus Sancti Cypriani contra haereticorum baptisma, nihil aliud S. Estephanus primus opossuit, quam illud: *Nihil innovetur: servetur quod est traditum.* Haec de Saeculo in Saeculum transmissio per traditionem mere oralem absque monumentis Sanctor. Patrum et Conciliorum probari non potest. Si traditio in monumentis contenta non sit possita, sive ut praeceptum, necessaria non est, relinquiturque fidelium arbitrio, licet Bulis comprobetur. Si superioribus aliquod retro Saeculis viri quidam Or-

thodoxi, atque Eruditi dogma unum, aut alterum non agnoverint, eius definitio á traditione peti non potest. Ex hoc capite consecratio in pane azimo non stringit universalem Ecclesiam.

34. Quamvis Christus servator noster, Summusque Sacerdos Eucharistiam instituerit, et obtulerit non ieiunus; non inde sequitur, á non ieiunis offerri et sumi posse, quia Christus non praecepit, ut deinceps illo vel alio ordine sumeretur, Apostolis suis relinquens modum dispensationis per Ecclesias: „ Si namque hoc „ ille monuisset, ut post cibos alios acciperetur, nemo eum „ variasset modum, ut docet S. Aug. epistola 54. ad Ianua„ rium. Quando primum acceperunt discipuli Corpus et San„ guinem Domini, non eos accepisse ieiunos, liquido apparet. „ ¿Numquid tamen propterea calumniamdum est universae „ Ecclesiae, quod á ieiunis semper accipitur? Et hoc enim „ placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, „ in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam „ ceteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste ser„ vatur.„ Sic id. Aug. ibidem: quocum consentiunt Tertullianus, S. Cyprianus, S. Basilius, Nazianzenus, Chrisostomus et alii Patres.

Constat ex huc usque dictis Evangelium ab Apostolis prius nuntiatum, quam scriptum fuisse, et quod Apostolicae Ecclesiae non alio argumento crediderint continere Verbum Dei Libros Evangeliorum, nisi quia perspexerant illorum doctrinam cum doctrina ore ipso tradita congruere. Haec fides tradita primis Ecclesiis, normae instar fuit deinceps ad Scripturas dignoscendas, et interpretandas.

De Sanctorum Patrum auctoritate.

35. Cum Traditio non aliunde magis, quam ex Sanctorum Patrum consensu dignosci posit; nec ab eorum unanimi sententia sit recedendum, ubi de genuino agitur Scripturae sensu, permaxime oportunum apparet, ut postquam de Scriptura et traditione egimus, breviter exponamus, quae sit illorum auctoritas. Quamvis igitur Apostoli eorumque discipuli sint primarii Ecclesiae Patres, quia doctrina, et Sanctita-

te floruerunt, ac congrua antiquitate donati sunt; tamen ex Ecclesiae ipsius usu, Patrum nomine agnoscimus eos Scriptores Ecclesiasticos eminentis doctrinae Sanctitatisque fama celebres, qui fidei morumque doctrinam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam verbo, et Scriptis propugnarunt, ut pura ad posteros transmitteretur. Quamvis Tertullianus et Origenes haereseos damnati fuerint, eos tamen ob insignia eorum opera, ut testes Traditionis Ecclesia assumit, eo vel maxime, quod veritas etiam ex ore inimicorum peti potest, et debet. Eo certius constabit unanimis Ecclesiae consensus, quo appareat testimonium inimicorum eius concorde, et ab omni sinistra suspicione alienum ei suffragari.

36. Ex quo ergo Patres sunt custodes, testes traditionis eiusque defensores apparet quod debent esse viciniores saeculo Apostolorum, vel saltim non adeo remoti: quaenam requiratur antiquitas, non convenit inter auctores: Putant plerique sufficere si attingant saeculum 7. sicque Sanctos Gregorium Magnum, et Isidorum Ispalensem claudere agmen Patrum: alii Sanctum Bernardum dicunt esse ultimum eorum. Non nulli ex Patribus speciali honoris praerogativa Doctores Ecclesiae vocantur ex publico Ecclesiae testimonio, ad quam pertinet conferre gradus honoris, auctoritatis, et dignitatis. Tam in Patribus quam in Doctoribus requiritur eminens doctrina et Sanctitas; nam sicut Doctoris est verbo et exemplo illuminare; ita Patris est pascere verbo et exemplo. Testimonio igitur Ecclesiae pro Doctoribus declarati apparent ex Graecis Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, et Chrisostomus; ex Latinis vero Magnus Gregorius, Augustinus, Ambrosius, et Hieronymus: recentius his additi sunt Thomas Aquinas, et Bonaventura.

37. Patres ex triplici adspectu considerandi sunt: Scilicet vel expectantur ut *Traditionis* testes, et Fidei suorum temporum; vel ut Scripturae Sacrae interpretes; vel ut privati Doctores earum opinionum, quas fovent. Doctrina Patrum, quam ipsi philosophantes docent certum argumentum non facit, sed tantum valebit quantum eius ratio ponderis praeseferat. Sicubi vero sint aliqua Patrum errata in quae male philosophando inciderint, ut cum ex capite 20. Apocalypsis induxerunt regnum mille annorum ante iudicium extremum, modeste desserendi sunt salva honorificentia, quae illis debetur, ut docet Augustinus epistola 3. ad Fortunatianum. Error hic Patrum millenariorum in quo maxime triumphant

Calvinistae Rivetus, et Dailaeus nec omnium Patrum, nec omnium saeculorum fuit, sed paucorum Patrum aliis in contrarium stantibus. Consensus etiam Patrum non in singulis scripturarum quaestiunculis, quae res alias á fide et moribus spectant studiose pervestigandus est, sed in rebus Religionis, ut opportune observat Lirinensis in Commonitorio.

38. Cum Patres spectantur ut testes traditionis, et Scripturarum interpretes, considerandum est non quid hic, aut alter existimet: nam singuli non regebantur Spiritus Sancti afflatu sicut Prophetae, et Apostoli, sed ingenio suo relinquebantur, adeoque ut homines falli potuerunt: Eorum scilicet Sanctitas hoc tantum praestat, ut credamus neminem eorum dolo malo mentitum esse, dum aliquid narraret, non vero ut tenasius cuilibet illorum adhaereamus. Duo ergo extrema in hoc vitanda sunt; videlicet despicere, et pro nihilo habere auctoritatem Patrum seorsim sumptorum, quia hoc impudentis est; nec eo imprudentiae devenire, ut absque delectu suscipiatur, et pro certa omnino habeatur cuiuslibet eorum auctoritas.

39. Si vero Patrum aliqui in unam sententiam conspirant, aliis ex adverso reclamantibus, nihil certi et indubiae fidei haberi potest. Hinc licet Patres communiter doceant naturales ac veros esse dies, quibus Deus mundum condidit, adhuc sua est probabilitas Augustini opinioni dies illos mysticé exponenti. Fulgentii et Augustini sententia fuit, poena sensus, licet mitissima puniendos esse ob peccatum originale infantes, qui siñe baptismo moriuntur: Patres tamen illis antiquiores, et qui post Fulgentium et Augustinum scripserunt contrariam sententiam tenuerunt; et inter eos Innocentius 3. Lib. 3. Decretalium tit. 43. cap. 3. inquit: „Poena originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus.

40. Ex Patrum Scriptis haurimus, quae fuerit subordinatio Ministrorum Ecclesiae, quanta Episcoporum auctoritas in Principes, et quanta istorum in Episcopos, quae fuerit sacra, christiana que methodus celebrandi Synodos, procedendi contra haereticos, et mores perversos stirpandi: eorum ergo fides historica illorum factorum multum lucis affert notitiae regiminis Ecclesiastici, quod in illis temporibus invaluit; et ad dignoscendas leges quibus externé moderata fuit Ecclesia.

41. Ex Augustino Libro de utilitate credendi cap. 17. docemur, quod si unaquaeque disciplina, quamquam vilis,

et facilis, ut percipi poscit, doctorem, aut magistrum re-quirit nihil temerariae superbiae plenius, quam divinorum Sacramentorum, libros ab Interpretibus suis nolle cognoscere. Rufinus libro 11. historiae Ecclesiasticae docet Gregorium Nazianzenum et Basilium divinarum Scripturarum intelligentiam non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis, et auctoritate secutos esse, quos, et ipsos ex Apostolica successione intelligentiae regulam suscepisse constabat. Animatvertendum tamen est, quod cum Sancti Patres exponunt Scripturae textus, aut ex iis ducunt argumenta, eligere solent persepe unum ex pluribus quos admittunt sensus et qui eorum proposito magis est accommodatus, sed tunc non negant alios. Sic mysticae expositiones Augustini eorum locorum ubi Scriptura de Eucharistia agit, vg. quod signum sit Passionis Christi, aut incorporationis fidelium in Ecclesiam, nihil obstant genuino et literali sensui verborum institutionis, quia Sacrae Scripturae textus multiplicem admittunt sensum, variasque interpraetationes.

42. Fixum tamen sit, ob id damnatos fuisse Origenistas Ses. 1. Synodi sextae generalis, quod expositiones novas invehere conati fuerint contra maiorum traditionem. Exorta quaestione inter fideles de intelligentia illius Testimonii Ioannis 19. » *ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum*, ea que relata ad Viennense Concilium, sic Clemens, in eo praesidens; loquitur: » Nos ad Sanctor. PP. et » Doctorum communem sententiam apostolicae consideratio- » nis aciem convertentes, Sacro approbante Concilio decla- » ramus &c.» Trident. Synodus Sess. 4. decrevit, *ut nemo suae prudentiae innixus in rebus fidei, et morum....Sacram Scripturam....contra unanimem consensum Patrum interpretari audeat.*

43. Licet Patres extra Concilium non repraesentent Ecclesiam, adeoque non sint Magistri orbis cum auctoritate decissiva docentes; tamen si in religionis, et praxium publicarum materia proponunt aliquid ore unanimi velut certum, firmiterque tenendum, debet illis impendi promptum obsequium; et statim ac declaratio aperta et expressa Ecclesiae accedit, fidei norman fidelibus suppeditat Patrum universalis consensio. Patres enim intuendi sunt, ut sui temporis eximii Theologi, ut Pastores fidelium, ut testes omni exceptione maiores, ut fidi traditionum apostolicarum custodes, et Doctrinae in Ecclesia temporibus suis praedicatae, et tamquam ab Apostolis acceptae, quaeque per eos, quasi per purissimos canales ad

nos usque decurrit: Dogmata enim hausserunt proprius fontem, Synodis astiterunt, arcana religionis inspexerunt; Ecclesias sibi coaevas docuerunt ea, quae invenerunt; et posteras, in eo, quod tenuerunt, calamo instruxerunt. Conficitur ergo unanimem SS. PP. consensum in rebus fidei, morum, et praxium publicarum esse indicium exploratissimum traditionis, et testimonium certissimum quibus dogmata catholica confirmentur.

44. Vt ordine et methodo fiat Patrum lectio, quaedam observanda sunt. 1. inspiciendum, quo saeculo vixerit Pater, cuius opus pervolvere volumus, nam caeteris paribus, eo magis pura sincera que fluit sacra doctrina, quo suis fontibus vicinior est; si vero contingat ut sinistrae suspicionis aspergatur rumore, poterit in multis posthaberi, licet antiquitate atque eruditione plures superet, ut fit cum Origine. 2. Ex Criticis cordatioribus discendum, quae genuina, quae spuria sint Patrum opera. 3. Ex scientia, fama pietatis, et reverentia quam in Ecclesia obtinet aestimanda est Patrum auctoritas, immo ex maiori illorum in scribendo diligentia. 4. Cura magna impendenda, ut innotescat, an Pater Theologum agat, an Philosophum: An exponat caput aliquod Scripturae vel disciplinae: an cathecumenos instruat, vel haereticos oppugnet. 5. iuxta illud iuris Canonici effatum, (Lib, 5. Decretal. de Verbor. signific. cap. 15.) *non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inservire*, oportet attendere magis ad sensum, quam ad verba.

45. 6. Vt assequamur internum auctoris sensum opus est inquirere quis sit totius operis scopus; nam cum Patres adversus haereticos agebant, eam cautionem adhibuisse agnoscitur, ut videantur declinare in errorem oppositum illi quem oppugnant, ut in medio consistant: Exemplo sit Augustinus, qui totus est in exagerando libero arbitrio contra Manichaeos; et totus in extollenda gratia contra Pelagium: Sabellio videtur favere cum pugnat adversus Arium: et in errorem arianum delabi cum Sabellium refellit. 7. Aequum est verba Patrum eo sensu accipere, quo accipiebantur tempore quo Patres scripserunt; expendere que oportet antecedentia, et consequentia, immo alia loca in quibus non obiter sed ex professo rem attingant. Sic illorum mentem assequemur, eos reverenter exponemus, atque excusavimus. Si vero reperiatur

sententia quam Ecclesia reiicit velut aliorum Patrum sensui contrariam, refellatur quidem sententia, non Pater, qui eam tenuit, quem admodum fecisse Augustinum constat erga Cypriani errorem de rebaptizatione. Lib. 6. de bapt. contra Donatist. cap. 2.

Quaest. An SS. PP. in aliquod dogma consensus certum praestet argumentum?

46. Ariani, Pelagiani, Severiani aliique haeretici qui Patrum patrociniis gloriabantur, illorum verba varié de torquebant, ut naseum cereum in suorum errorum confirmationem. ¡Tanta erat apud hos de Patrum auctoritate opinio! Licet quandoque Lutherus hanc tenuerit viam, postea tamen scribere ausus est nullum auctoritate Patrum cogendum esse: hoc familiare hodie est sectariis recentioribus, et praecipue Luteranis. ¿Quis vero tulerit hos Gracchos de seditione quaerentes? Diallaeus in opere de *vero Patrum usu* nihil non tentat, ut eos é sede deiiciat: Sed tanta est vis veritatis ut in fine Libri, eos ipsos Patres, quos suis argutiis deprimere tentavit, ad Coelum usque extollat, quomodo ipsi merentur; quod ipsum plenius facit in alio suo etiam opere *adversus cultum religiosum Latinorum.* Quidam anglus Theologus, qui anglico fecit idomate lucem videre Apologias Iustini et Tertulliani, Patrum defensionem suscepit adversus Daillaeum, ut videre est in Bergierio in suo veré aureo tractatu historico-digmatico verae Religionis tom. 11. Catholicam doctrinam tuere conamur omni mentis affectu hac conclusione.

47. Unanimis SS. PP. consensus in dogmate aliquo, fidei que regula, certum facit in Theologiae negotio argumentum.

Probatur Conclusio. Doctrina á Christo, per se, et per suos Apostolos, horumque discipulos trádita Ecclesiae, certum infalibile que praestare Theologo argumentum nihil est quod dubitetur: Cum ergo Christianae modestiae pietatis que SS. PP. proprium fuerit non sua posteris tradere, sed quae accepta á maioribus custodiebant, profanas vocum novitates perpetue devitando: Conficitur absdubio, viros hos sapientia conspicuos, sanctitate illustres, strenuos avitae religionis defensores, nihil aliud credidisse, nullo alio sensu fuisse perculsos, quam quo imbuta erat Ecclesia. Quod igitur haec Christi Sponsa sentiebat, et Credebat, erat fides, et sensus

Patrum unanimis. Hinc est, quod Ecclesia in generalibus Conciliis congregata sua decreta stabilierit, veluti fundamento in concusso, super sensum Patrum concordem.

48. Cum in Ephesino generali Concilio de fidei regulis disceptaretur adversus Nestorium, decretum fuit, ut Sanctorum Patrum Sententiae in medium proferrentur: factum ita: deinde sic definitum: „Divinitus placuit nihil aliud posteris „credendum decernere, nisi quod Sacrata, sibi que in Christo *consentiens SS. PP.* tenuisset antiquitas." Chalcedonensis Synodus generalis: *Haec est fides Patrum, omnes ita credimus.* Constantinopolitanum 3. actione 12. Sanctorum PP. dogmata, tamquam legem *Sanctae Dei Suscipiunt Ecclesiae*: Hoc ipsum reperitur in omnibus Conciliis. Si igitur in his comitiis generalibus tanti habita est Patrum unanimis sententia, *ut omnino necessum habuerint sequi SS. PP. dogmata, non solum secundum sensum, sed uti cum illis eisdem vocibus*, quemadmodum legitur actione duodecima Concilii constantinopolitani 6.: Certe magnum facit, certumque in Theologiae negotio argumentum concors Patrum in quolibet dogmate fidei que regula, consensus.

49. Obj. 1. Ipsis Patribus ignota erat illa infallibilis auctoritas, quam illis tribuimus. S. Hieronymus epistola ad Theofilum inquit: Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores; illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines aberrare: Augustinus aliique eodem fere modo loquuntur, et modestissimus S. Thomas Augustini auctoritate confirmatus 1. p. q. 1. á 8. ait: auctoritatibus Canonicae Scripturae utitur sacra doctrina (Theologia) ex necessitate argumentando: auctoritatibus autem aliorum DD. Ecclesiae probabiliter arguendo: ergo &c.

50. R. Quod Patres in argumento adducti non absolute locuuntur, sed comparative: mens illorum est quemlibet Sacrum Scriptorem necessario credendum, non vero fidem necessario adhibendam cuilibet PP. ut docet Augustinus L. 11. contra Faustum cap. 5. se ipsum explicans. Nullus ergo Patrum, communem PP. consensum in rebus fidei, docuit, (nec docere potuit), non suppeditare argumentum necessarium. Impossibile, quidem est tot, tantos que summos viros tempore ac loco adeo dissitos in unam rem conspirasse, nisi veritatis amore ductos; quemadmodum pugnat quod Ecclesia universa, qui eos ut Magistros et Doctores suscipit, ac veneratur erret in dogmate aliquo fidelibus proponendo, quia ipsa nihil

fidelibus credendum proponit, nisi quod sacrata consentiens que PP. antiquitas tenuerit, ut definivit Ephesina Synodus.

51. Obj. 2. ex Daillaeo religionis reformatae ministro in opere de *Usu Patrum.* Inter opera quae PP. nomine circumferuntur, quaedam sunt supposititia, quaedam licet genuina, in multis interpolata: ¿Quomodo ergo ex iis turbidis fontibus certum deduci potest argumentum?

52. R. Maiorem esse numerum operum genuinorum, quam suppositorum Ecclesiae Patrum: fidem autem non inquirunt Theologi in spuriis fontibus, sed in genuinis, quae facile ab illis discernuntur ab Eruditis Scriptoribus ope cordatioris criticae, quae cum iudicio secernit textus genuinos ab spuriis. Difficultas ergo, qua evertere conatur Daillaeus auctoritatem Patrum militat aeque adversus scripta veterum, ut Virgilii, Ciceronis &c. de quorum veritate nemo dubitat esto in aliquibus sint interpolata. Possesionem ergo Librorum quietam ab omni retro antiquitate habitam haud evertet Biallaetus levisimis illis coniecturis adiutus, et ex Sceptisismi pruritu Ortis.

53. Obj. 3. Ex eodem: in re meri facti, ut quae singulis fere saeculis *fides*, et *Disciplina* viguerit in Ecclesia errare possunt Patres, qui ut horum testes advocantur: licet sanctimonia et eruditione floruerint, homines erant qui alios docendo fallere potuerunt, et falli: ergo sive illos ut testes Fidei et Disciplinae conspiciamus, sive ut Doctores, qui quod sentiunt exponunt, certam fidem non faciunt, nec infalibile ex illorum consensu duci potest argumentum.

54. R. Quod Christus ita legem Evangelicam instituit, ut eam ad fideles suos transmitti voluerit illibatam nedum per scripta discipulorum eius, sed etiam per idoneos ministros et Pastores, qui hanc doctrinam altius infigerent et inculcarent adhortationibus, et praeceptis per continuatam successionem, ne quid illi adversum obreperet per subsequentes aetates. Hinc fit, ut veritatis revelatae universalis traditio ab Apostolorum temporibus eius succesoribus commissa, et ab iis per Pastores et Doctores transmissa, alte in illis sit infixa, sic que fieri umquam potuit ut Catholici tam variis locis constituti fallerentur in iis, quae toties eorum auribus fuerunt inculcata; praecipue cum omnes fidei articuli ita connexi sint cum actionibus, et ritibus, ut fidei unitas ex cultu, et vita Christiana maxime elucescat. Ex his apparet fidem, disciplinam que non esse factum quodcumque nudum, et in obs-

curo angulo peractum, sed complexum ex pluribus factis illustribus aeque, et sensibilibus ita inter se connexis, et cum ritibus solemnitatibus, atque *iure* conconcatenatis, ut imposibile fuerit Patres de illo unanimi consensu attestantes fallerentur, fallerentque in rebus quorum error in totam refunderetur Ecclesiam, cui perpetua promissa est infalibilitas.

55. Obj. 4. Cum bene multa Patrum perierint opera temporum injuria, de que aliorum authenticitate post varias disputationes, sub iudice adhuc lis sit, nedum difficile, sed feré impossibile est omnium Patrum consensum explorare: ergo frustra laboravit Theologus in probanda qualibet fidei, morum, vel universalis disciplinae veritatem ex Patrum unanimi attestatione.

56. R. Certitudinem attestationis Patrum non ex eorum omnium numero matematice sumpto dessumendam esse; sed ex unanimi plurium depositione, nullis cum ratione reclamantibus. Concordia igitur illa in rebus tam maximi momenti, non ab alia causa procedere potest, quam á vi veritatis: Si enim in factis meré naturalibus, publicis, et sensibilibus attestatis á testibus fidedignis; concorditer illos enarrantibus, tanta est firmitas, ut nulla dubitandi ratio maneat ad fidem historicam eis adhibendam, quia testimonium auritorum superstructum est in evidentia occulatorum, á quibus notitiam acceperunt: ¿ quanti habenda est auctoritas Patrum vel omnium vel plurium unanimi consensu asseverantium facta superstructa in verbo Iesu-Christi filio Dei humanato, qui os suum aperiens hominibus miscelis de regno Patris sui aeterno locuutus est ad Ecclesiae institutionem ad finem usque mundi duraturam? Maneat ergo inconcusum in errore fidei versari, qui ab unami PP. sententia in rebus fidei, morum, aut disciplinae universalis recederet.

Scholion.

Disciplina est modus quo fidei, aut morum doctrina excolitur: inanis namque foret fidei et morum doctrina nisi certa excoleretur ratione. Deum esse, fidei doctrina est: Deum esse colendum, ad morum doctrinam pertinet: designatio vero certi cultus, disciplina dicitur. Quae disciplina sit universalis, et causam perennem habeat; quae particularis, et mutationibus abnoxia sit, non aliter dignoscitur melius, quam

ex Ecclesiae iudicio. Nomine iurisdictionis intelligitur facultas decernendi, iura constituendi, formam regiminis inducendi, res sacras moderandi, et poenis canonicis curandi executionem illius quod rite deliberatum vel constitutum fuerit. Omnia pene sacrorum administrorum officia comprehendit iurisdictio Ecclesiae á Christo institutae, de qua iam pertractandum est.

De Ecclesia Iesu-Christi.

57. De Verbo Dei scripto, et tradito, qnibus credendi et agendi regula continetur, atque de testibus traditionis, hucusque praecipua delibavimus: nunc vero de Iesu Christi Ecclesia per quam, ut per canalem quemdam limpidissimum, ad nos usque derivantur, quae Dominus voluit credere agereque fideles, nunc pertractandum assumimus. Fides ergo omnibus hominibus necessaria, ut eumque rudes, simplicisque sint, iis proponi debet per auctoritatem falli et fallere nesciam; adeoque divinam, ut tuto conquiescant. Hinc Deus, hominum Pater amantissimus constituit, quod hi possent regnum eius, in quo est vita aeterna, adipisci, per legum impletionem, quas illis praedicaret Christus ab eo missus. Ortus, incrementum, et conservatio societatis religiosae quam Verbum incarnatum instituit, magno sunt et perpetuo miraculo.

58. ¿Et cui, quaeso, paccato et sereno animo rem contuenti, non statim obversatur divina vis auctoris huius nascentis religiosae societatis? Pauculi homines de plebe; humanis omnibus praesidiis destituti, et inter vehementissimas omnium mundi potestatum persecutiones, instituunt hanc religionem novam, cunctis hominum cupiditatibus, et superstitionis inveteratae adversantem, totoque orbe, temporis exigui spatio, et cum vitae discrimine, et sine armis, palam diffundunt, ac propagant cinseram cognitionem cultumque veri Dei. Ab ipsis incunabulis nihil intentatum reliquerunt hostes eius infensissimi, ut corpus hoc religiosum funditus extirparent, et ad finem usque mundi erunt, qui superbe audeant illud oppugnare, sed portae inferi non praevalebunt.

59. Summam esse, et divinam huius corporis auctorita-

tem, motiva haec raptim indicata ostendunt. Corpus hoc, Vaticiniis Prophetarum praenuntiatum, et per omnes aetates innumeris nobilitatum victoriis de suis persecutoribus, Christi Ecclesia nuncupatur. Sub duplici aspectu consideravimus hanc Matrem, quae nos concepit, pepérit, alit, tuetur, gubernat, et extra cuius gremium non est speranda salus. Considerantes 1. illam, quatenus est per orbem dispersa, eius membra, et caput; eius affectiones, et notas percurremus: post vero illam videbimus in Conciliis congregatam. Deinde vero in utraque consideratione magnam eius vim ad Theologiae dogmata comprobanda reperiemus. Affectiones, autem, Ecclesiae, sunt dotes illae quae cum ea indivulsae cohaerent veluti, quod sit perpetuó visibilis, indefectibilis, et ab omni errore immunis.

De Ecclesia per orbem dispersa.

60. *Ecclesiae* nomine non intelligimus hic locum in quo fideles convenire solent, et de quo ait Apost. 1. Cor. cap. 2. *Convenientibus vobis in Ecclesiam*: nec etiam usurpamus illud nomen pro *fidelium Christianorum societate Deo servientium*, quo sensu Apostolus, ad Ephesios 1. sic loquitur: *Christum dedit caput super omnem Ecclesiam*: Haec namque societas, seu militet in terris, seu patiatur ad tempus in Purgatorio, seu truimphet in Coelis, uni Deo, sub uno capite Christo Iesu, servit. Stricte igitur sumimus *Ecclesiae notionem*, quatenus complectitur societatem fidelium Christianorum in terris adhuc militantium, sic que dicimus, quod *Ecclesia, est coetus hominum viatorum per baptismum Christo, á quo est institutus, consociatorum, quique in ter se sunt coniuncti verae fidei professione, sinceraque Sacramentorum administratione, et sub regimine legitimorum pastorum, quorum primus est Summus Pontifex centrum unitatis Ecclesiasticae.*

61. Ex hac definitione fluit, quod omnis societas Christo posterior, et ab ipso non instituta non est vera eius Ecclesia. Cum Christus voluerit in Christiana fide homines initiari per baptismum, per hunc aditus datur ad Ecclesiam. Haec, instar hominis, corpore et anima constat: fides, spes, charitas, et dona interiora spiritus, sunt Ecclesiae anima, et sic ea membra, quae in Christi charitate vivunt animata sunt: quum vero ab ea charitate defficiunt passim, si tamen integram fidem, doctrinam, et subiectionem suis rectoribus retineant, membra quidem sunt, sed inanima, quia

viva adhuc est radix vitae, fides nempe, doctrina et subiectio, quibus externis vinculis devincti permanent ipsi Ecclesiae, quae est societas exterior et visibilis, cuius corpus consistit in illa externa fidei professione, sacramentorumque communione.

62. Regnum Dei, cuius caput, Spiritus, Rex, et Dominus est Christus, comprehendit quidem collectionem credentium in Christum, eius doctrinam sectantium, et leges observantium; sed ex his credentibus, quidam iam sunt cives Sanctorum, domestici Dei, et triunfant in Coelo iusti et Sancti, quia nihil coinquinatum intrat in illam beatam sedem, ut S. Ioannes loquitur: sed in hac viatorum societate, cuius cives adhuc exercentur et praeparantur exigenda non est eadem perfectio, et sanctitas, namque propter naturae imbecilitatem labuntur aliquando, et deficiunt: magno tamen studio lapsus emmendare debent per poenitentiam, quam Rex benignissimus eo fine instituit, ut impetrata eius venia, et renovato virtutis amore, sint iterum membra viva Ecclesiae, communicentque nedum exterius, sed interius etiam cum Christo Iesu, qui suam Ecclesiam ita instituit, ut á nonnullis Pastoribus, quorum primus est Summus Pontifex, regeretur.

63. Cum integritas, et Sanctitas morum haberi non possit absque doctrina evangelica, et fide in Christum, sequitur quemlibet, qui per baptismum in Ecclesiam militantem est ingressus, teneri ad hanc doctrinam perdiscendam, ad eam operibus sectandam, et integram fidem Christo praestandam, si serio vult ad vitam aeternam pertingere. Doctrina haec á Christo et Apostolis praecipuis mundi partibus communicata, per illorum discessum, Pontifici, Episcopis, et Ministris verbi Dei, qui partes Christi et Apostolorum agerent, relicta fuit, ut docet Apostolus Paulus in 1. ad Corinthios cap. 12. et ad Ephesios cap. 4. v. 11. Hi ergo docere debent Cives Ecclesiae doctrinam revelatam puram et integram, civium moribus invigilare, moresque istos ad Sacrae doctrinae normam exigere. Haec Pontificis Summi, haec Episcoporum, haec Ministrorum auctoritas, in docendo et regendo, quam Christus fundator et Rex regni huius eis concredidit, vocatur *auctoritas Ecclesiae catholicae.*

64. Tanta est autem huius Ecclesiae Catholicae auctoritas, quae ex Summi Pontificis, Episcoporum, et aliorum Ministrorum auctoritate conflatur, ut illa sit verus et legitimus doctor revelationis scriptae, eiusque interpres: re-

velationis vero non scriptae, verus doctor, verus testis, et verus interpres: igitur huius Ecclesiae Catholicae Min istri docere debent doctrinam revelatam, et cavere, ne depravetur, tamquam Iudex vivus et infallibilis, cui cives Ecclesiae militantis obedire tenentur. Ab ipsis enim Ecclesiae incunabulis creditum semper fuit Christum, Ecclesiae suae sponsae ita providisse, ut esset certa et publica interpretandi regula Scripturae, et traditionis, ne facile, cuiusque privati auctoritate, in diversos sensus traherentur.

65. Ab Apostolo Paulo ad Ephesios 5. docemur Ecclesiam militantem esse Corpus Christi, et Christum eius caput, et animam, et spiritum vivificantem: Ex quo conficitur 1. quod Ecclesia movetur, regitur et vivificatur á Christo, ut corpus nostrum á capite nostro: 2. quod si Ecclesia erraret in doctrina, eius error ad Christum referretur, ut brachii, aut pedis error ad corpus et animam, quod fieri nullatenus potest, cum Christus, qui Ecclesiae promissit Mathaei 28. se adfuturum esse ei usque ad consummationem saeculi, falli et fallere sit nescius.

66. Cum omnis Societas, et caetus ut rite et tranquile conservetur debeat esse sub aliquo rectore, Christus manifeste praecepit Apostolis, et isti succesoribus suis, ut Ecclesiam gubernarent. Petro tradidit claves regni Coelorum ei que inculcavit, ut pasceret oves suas: omnibus tradidit potestatem ligandi et solvendi, quae propria iudicis regentis est, atque ob hanc rationem ab ipsis Christianismi initiis Pontifex, et Episcopi nedum Pastores vocati sunt, sed etiam Ecclesiam rexerunt, agnoveruntque id regimen sui muneris esse, nemine umquam hoc contradicente.

67. Quemadmodum iura omnia Sacerdotii, sine quibus religio integra servari non potest; accepit Christus á Patre, ita etiam qui Christo, et Apostolis successerunt, id Christo rotunde docente, cum Ioannis 20 ait: *Quemadmodum misit me Pater, ita et mitto vos*: Similiter Actorum 20. Paulus sic Episcopos monet: attendite vobis, et universo gregi in quo Spiritus Sanctus vos possuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Iam vero Religio Christiana conservatur doctrina, disciplina, et unitate: igitur ad iura Sacerdotii pertinet conservare integram doctrinam, et disciplinam, et adigere Christianos ad Religionis unitatem, arcere que rebelles á ca tibus Sacris, ne alios contaminent; namque unitas haberi non pot-

est ubi homines cogi nequeant ad idem sapiendum, et agendum in religione.

68. Quamquam vero negare non possimus, Ecclesiae regimen esse penes Episcopos, id que apertissime demonstrari ex Scriptura, traditione, et usu perpetuo; statim tamen concludendum non est regimen Ecclesiae esse Aristocraticum, seu apud magnates; quia licet Apostoli pari potestate á Christo missi sint, hodie que Episcopi mittantur; tamen Petrum constituit Christus tamquam principem et caput totius senatus Apostolorum; et qui Petro in Episcopatu succedunt, in eodem Principatu succedunt. Hunc Christi Primatum omnes fere Novi Testamenti paginae docent, omnisque semper agnovit Ecclesia: Primatum etiam Pontificis Romani sedentis in Cathedra Petri non solum agnoverunt Oecumenica Concilia Nicenum, Ephesinum, Chalsedonense, et alii, sed etiam doctissimi Patrum et Veterum; adeoque impudentissimum esset refragari consensui, et auctoritati totius Ecclesiae. Tria Patrum loca hic proferre iubat. S. Athanasius ad Papam Felicem scribens, inquit: »ob id vos, praedecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Praesules, in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum habere curam praecepit, ut nobis succurratis. »S. Cyprianus epistola 54. ad Cornelium Papam, haec scribit. »Petri Cathedra, Ecclesia principalis est, unde unitas Sacerdotalis orta est. »S. Augustinus Epistola 56. ad Damasum Papam, sic loquitur: »In Romana Ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit Principatus."

69. Neque ex hoc inferre debet quisque regimen Ecclesiae esse Monarchicum, ita ut Summus Pontifex sit totius Ecclesiae universalis Monarca, aut Episcopus universalis: 1. quia Iesus Christus Ecclesiae fundator talem regiminis formam instituit, quae non nutriret dominandi libidinem, sed quae legibus mansuetudinis, humilitatis, et charitatis suffulta, pacem, unitatem, et tranquilitatem in Ecclesia conservaret, infringeretque, mediis canonicis, illorum audaciam, qui pacem et unitatem turbant. Cum enim Episcopi veri sint suarum Ecclesiarum Pastores, non Vicarii Summi Pontificis, proprié Episcopus universalis dici non potest, nec catholica Ecclesia Papae dioecesis: namque Episcopatus unus est, cuius á Singulis in solidum pars tenetur, ut docet Sanctus Cyprianus. Episcopatus omnium ita pro indiviso communis existit, ut etiam post divisionem Dioecesum, quilibet Episcopo-

rum eam partem habeat in clavibus quoad substantialia religionis, videlicet conservationem et propagationem verae fidei, et doctrinae, ut in defectum aliorum, eam salvam statuere teneatur. Romanus autem Pontifex, ut caput, et ut Primatus non solum quoad essentialia, sed etiam, quoad externum Ecclesiae regimen specialiter obligatus est se se obiiciendi irruentibus erroribus, et vitiis in quamcumque Ecclesiam, et in hoc sensu, salva que aliorum auctoritate, poterit dici Episcopus universalis. Sic á quocumque Episcopo poterit exigere rationem neglectae Ecclesiae; quia si reliquis praefertur honore, loci praeeminentia, et auctoritate dicendi propter *primatum* in communi hac Christiana societate, praecipue ferre tenetur onus reliquos ex officio intendendi, et ad legum executionem urgendi.

70. Vt Primatus Consectarium, infalibilitatem Pontificis agnoscendam esse tuentur magni Theologi, aliis in contrarium stantibus: Quum vero, et qui Papam infallibilem aiunt cum Bellarmino et Cano, et qui negant cum Dupino et Bossuetio aeque catholici sint, quaestio haec inter eas reponenda est, quae salva fidei compage pro et contra á Theologis disputantur. Sit ne Concilium supra Papam, vel an Papa sit ratione Primatus supra Concilium acerrime etiam inter Theologos praecipue Italos, et Gallos controvertitur ingenti animorum aestu: Cum vero impares simus ad tantas componendas lites, eam adiaphoram quaestionem intactam relinquimus. ¿ An etiam Papa ratione Primatus possit deponere Reges? quaestio est magno aestu agitata. Pro eius resolutione consuli possunt, Dupinus, Bossuetius, et praecipue Bertius in singulari dissertatione ad calcem tom. 2. ubi erudité, et suo more pro utraque sententia disputat.

71. Genuina Primatus Summi Pontificis iura his continentur. *Primo*, cum sit primus inter Episcopos, tenetur iure naturali ad leges Christianae societatis conservandas, quod nullatenus perficere posset, nisi ea instructus esset auctoritate, qua compellere ad id valeret refragantes per media in eum finem á Sacris canonibus instituta ex constanti usu Disciplinae, quae ab ipsa obtinuit antiquitate. Quamvis enim Pontifex summus absolute infallibilis non sit, omnino standum est eius Decretis provisionalibus, eique parendum donec controversia plenius ad liquidum perducatur: qui vero refragari auderet, nedum temerarius habendus foret, sed etiam suspectus erroris et haereseos. Deus enim, qui promissit Ecclesiam nusquam fore defuturam, non sinet Vicarium Christi delabi

in rebus tanti momenti, maxime cum agit ut Pontifex et cum ut talis decernit, quae dogmata tenenda, quae reiicienda; vel cum ordinat disciplinam Cleri, et Populi; vel dum quasdam Theses damnat, vel Libros absolute prohibet, vel variis censuris Theologicis perstringit. ¿ Quod turbae, quod damna, quod schismata orirentur, si in his non revereatur auctoritas supraema Pontificis? Haec igitur potestas propositiones censurandi, earumque sensum aperiendi, quod propositionum qualificatio appellatur, convenit Pontifici etiam extra Concilium ad praevenienda pericula animarum, et ne praevaleant haereses. Conciliorum enim generalium convocatio sera medicina est, quae ob mille remoras differtur, nec immensis sumptibus indicendum est totius orbis Concilium ad compescendum vel Theologum quemdam, vel delirantem Iure-Consultum. Ex quo enim Ecclesia universalis pascenda, regenda, et gubernanda concredita est Romano Pontifici, statim ei concredita est á Christo plena potestas ad ea omnia sine quibus tantae molis munus sustineri haud potest.

72. In magna ergo Conciliorum generalium congregandorum difficultate, potest, et debet Summus Pontifex ratione muneris, condere leges generales, easque observandas toti Ecclesiae proponere vim post communem acceptationem habituras: interim tamen haec habetur acceptatio, magna reverentia his honestis et necessariis Decretis debetur, medioque tempore abstinendum est á disseminatione dogmatis confixi: hocque obsequium fide eo promptius suo Pastori exhibebunt, quo linguis et calamis prohibetur tractatio, defensio, editio, aut disputatio privata, vel publica Thesis, prohibitae, absque eo, quod semper laqueus intellectui ad internum dissensum iniiciatur. Solet enim accidere quarumdam propositionum fieri prohibitionem ob quasdam circunstantias, quibus ablatis propositiones confixae nota temeritatis, scandali, &c. rursus licité defendi possunt. Sic tempore Husitarum temerarium erat negare Peripateticorum accidentia absoluta, quia tunc non afferebatur modus alius explanandi mysterium Eucharistiae: hodie vero cesat illa temeritas, quia Philosophi veré catholici, absque accidentium absolutorum interventu, per quam optime mysterium explicant, ut videre est in clarissimi Fortunati Brixiensis singulari Dissertatione de Qualitatibus corporum sensibilibus.

73. *Secundo*, quamquam Pontifex non sit ultimus Controversiarum iudex, praecipuas tamen partes habet in iudi-

cando, sic que has ut magni momenti revereri tenentur omnes, et provisorié obsequi usque ad plenariam definitionem Ecclesiae vel dispersae, vel in Conciliis congregatae; quod secus est circa Episcopi cuiuscumque Decreta, namque ad illa solúm obstricti sunt qui eorum iurisdictioni subiiciuntur: Nullus dioecesanus arroganter repugnare potest Episcopo, *quia inde schismata et haereses oriuntur*, ut ait S. Cyprianus Epistola 9 Libri 4. qui etiam addit: *quia Episcopus, qui unus est, et Ecclesiae praeest, superba contentione contemnitur*. Negant quidam Episcopis potestatem propositiones censurandi, quia haec potestas Papae reservata videtur Clementina unica de Summa Trinitate: Alii tamen contendunt hanc iustissimis de causis factam reservationem suspendere exercitium iuris, quod habent ad censurandas propositiones, non vero tollere illud ius.

74. *Tertio*, Si ob haereticorum, aut Schismaticorum contumaciam opus sit generali Concilio, Pontifex Romanus ratione Primatus potest et debet congregationem Concilii procurare. *Quarto*, cum Papa sit centrum unitatis Ecclesiasticae, ad eum referendae sunt causae gravioris momenti, et quae ad Ecclesiam universam pertinent, sive sint fidei, sive morum, sive disciplinae, ut sic dissitae Ecclesiae inter se conferant, et sic bono communi consulant, ut ab initio nascentis Ecclesiae factum est. *Quinto*, Sapienter, et iusta de causa potest dispensare Papa in legibus ab universali Ecclesia latis. *Sexto* non solum competit Pontifici auctoritas illa *inspectionis*, et *vigilantiae* sed etiam *iudicium extremum instantiarum*, nam cum sint diversi gradus iudiciorum, et semper á iudicio inferiori, provocaretur ad aliud superius, aequum erat, ut illi, et non alteri haec prerogativa conveniret.

75. Haec est Summa iurium Summi Pontificis, quae in Primatu fundantur, et partim immediaté fluunt ex iure divino, partim ex convenientia huius instituti, et partim adiuncta sunt ab Ecclesia ad melius esse, quaeque proinde mutationi abnoxia sunt, quando id utilitas Ecclesiae postularit. Cum ex urbe romana exierint, qui primi Christianam fidem anuntiarunt in Italia, Hispania, Gallia, et Germania, dicta fuit *Mater et Magistra* ceterarum; et cum ceteris omnibus praeesset, iureque invigilaret, *Unitatis centrum* est, in quod omnes eiusdem fidei particulares Ecclesiae confluentes, unius communionis nexu colligarentur, reverentiam et gratitudinem illam rependentes, quae matri et magistrae de-

bentur. Ex quo fit, quod cognita huius primae Ecclesiae, sententia, ceterarum omnium satis cognita fuerit, namque una est omnium cum hac Ecclesia, fides, atque doctrina.

76. Defuncto Papa Claves, seu iurisdictio manet in Ecclesia, quia nec soli Petro, nec alicui Apostolorum, tamquam immediato potestatis subiecto, claves traditae fuerunt á Christo, sed universitati Ecclesiae, quam Petrus representabat, ut per ministros ipsius Ecclesiae, clavium potestatem exerceret. Ecclesia ergo habet claves secundum suam originem, et Praelati usum exercitiumque illarum, ut fuso calamo tradit Abulensis in Cap. 13. numerorum quaest. 48, et 49. Claves Ecclesiae datas non solum ad solvendum, sed ad ligandum, expresse docet Synodus Trid. Sess. 14. Can. 15: et potestatem indulgentias concedendi á Christo Ecclesiae concessam esse, aperte decernit Tridentinum cap. 21. Sessionis 25. Petro totius Ecclesiae figuram gerenti, Dominum dixisse super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam ait Augustinus cap. 7. Lib. de unitate Ecclesiae. Idem S. D. tractatu 108. in Ioannem: Unus pro omnibus dicit, tu est Christus filius Dei vivi, et propter hoc claves cum omnibus, tamquam personam gerens Ecclesiae, accepit; ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.

77. Romani Pontificis Succesio in Pontificatum Petri ex instituto Christi est: ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius, quam Antiochenus, vel alius ex facto Petri initium habuit, ait Bellarminus Controversiarum parens Lib. 2. c. 12. Succesio ergo ipsa, loquitur idem Cardinalis, ex Christi instituto, et iure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum usque ad finem mundi duraturum. At vero, quod Episcopus Romanus, qua talis, sit Petri Successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione.....quia vero Romae sedem fixit, et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Romanus Pontifex succedat.

78. Cum legimus primorum quatuor saeculorum Episcopos non alia ratione cum Pontifice Romano locutos, quam de aequali, id ita intelligendum est quod illa aequalitas sit in caritate, quomodo etiam nobiles, et Principes christiani, ut sibi aequales in christiana caritate spectabant homines etiam vilissimos: non vero in titulo praeeminentiae, namque disserte in Comiciis generalibus praetulerunt Papas ceteris omnibus.

79. Ad perfectam cognitionem auctoritatis Papae, scire oportet illum duplicem personam agere, scilicet privatum Doctorem, dum ad instar alterius eruditi Praelati Libros edit, cuiusmodi sunt S. Leonis Magni homiliae, opera Magni Gregorii, Adriani 6. et Benedicti 14: tuncque non plus auctoritatis habet, quam quilibet scriptor: Cum vero procedit ut iudex, aut Legislator, tunc dicitur agere personam publicam. Vt Iudex dirimens causas mere privatas personam quidem publicam agit, sed cum falsis testimoniis decipi possit, et sinistré informari, potest etiam falli, eius tamen decissio magni habenda est et revereri.

80. Vt publica persona decidit etiam causas saltem consequtive pertinentes ad Universam Ecclesiam, veluti dum aliquem virum iustum in Sanctorum catalogo ponit, vel approbat Ordinis alicuius religiosi regulam, vel haereticum declarat Librum in sensu intento á suo auctore. In his iudiciis publicis, quae in totam Ecclesiam, vel insignem eius partem redundant, non omnes concedunt Papae infallibilitatem. Qui tenent affirmativam partem, hoc nituntur inter alios fundamento. Multum refert ad communes Ecclesiae mores scire, quos debeamus religione colere: quare si Pontifex in illis erraret, in moribus quoque falleretur: qui vero propendunt in negativam partem, observant canonizationis causam plerumque duplicem involvere quaestionem alteram iuris, ¿ an virtutes quae in canonizando subiecto laudantur sin haeroicae? et facti alteram, ¿ An canonizandus illas absque simulatione atque fraude revera exercuerit? Cum vero una sine altera definiri nequeat, et facti quaestio etiam prudentissimos latere queat, merito de infalibilitate Pontificis dubitari poterit in similibus causis. Sed reponunt primi, tales cautiones adhiberi ad Sanctorum canonizationem, ut impossibile sit providentiam Dei singularem desinere Pontificem in re tanti momenti, quae cum morum doctrina connexa est, falli. Ad canonizationem, non solum ad examen vocantur testes oculati fidedigni unanimes, sed etiam miracula indubia spectantur. Qui ergo fidem in his Papae, quocum tota Ecclesia consentit, derogarent, temerarii, impudentes, et irreligiosi censendi sunt, tractandi que ut seditiosi ac rebelles pacem Ecclesiae absque debita subiectione perturbantes.

81. Legislatoris etiam exercet munus Pontifex, quando decernit, quae dogmata sint tenenda; quae abiicienda; vel cum ordinat disciplinam Cleri, et Populi. Quae ergo etiam,

absque Concilio decernit Pontifex, circa dogmata, revereri tenentur fideles, nec facile erroris insimulare, ut vitentur turbae atque Schismata. Plena potestas propositiones censura inurendi, qua gaudet Pontifex ut Doctor publicus non uno eodemque exercetur modo; sed semper eius qualificatio obtemperanda est magna reverentia. Magni etiam habetur censura Congregationum in Roma erectarum, et quae ab Inquisitoribus proficiscitur in locis ubi hoc Sanctum Tribunal viget. Professores discipulique Academiarum debita reverentia suscipiunt censuras doctrinales ab Universitatibus procedentes.

82. Denique responsa Pontificis ad consulta unius alteruisve Episcopi, non sunt oracula pro tota Ecclesia, quibus credendi obligatio insit, namque ibi Pontifex tantummodo respondit, quod sibi optimum videbatur: Potiori ratione idem dicendum venit de his quae non interrogatus de suo adiicit, vel quae obiter tangit, vel cum adducit rationes; quae suadeam. Concludamus ergo cum clarissimo Cano Libri 5. capite 5: „Qui Summi Pontificis omne de re quacumque iudicium temere, ac sine delectu defendunt, hos Sedis Apostolicae „auctoritatem labefactare, non fovere: evertere, non firmare:...Petrus nostro mendacio, nostra adulatione non eget." Iura ergo, et facultates Summi Pontificis ex quadruplici eius dignitate oriuntur: Est, enim, urbis Romae, et districtus eius Episcopalis, Episcopus: Est Metropolita Romanae Provinciae et regionum suburbicariarum: Est Patriarca totius Occidentis: Est, tandem Primas et caput totius Ecclesiae.

83. Postquam de regimine Ecclesiae, et iuribus, ac dignitatibus capitis eius visibilis verba fecimus, nunc agendum de membris. Cum aditus ad Ecclesiae societatem non fiat nisi per baptismum, patet Paganos, eosque qui numquam doctrinam evangelicam audiverunt non esse membra Ecclesiae visibilis: Ex quo vero in gremio Ecclesiae necessarium est baptismo initiatos credere in Christum debere, mandataque eius observare cum subiectione ad rectores legitimos, cuius Primas est Pontifex Romanus, apparet ad Ecclesiam non pertinere nec Hebraeos, nec Mahumedanos, nec Haereticos nec Schismaticos quippe hi sunt manifesti rebelles, veramque Christi doctrinam non profitentur, quae vitae Ecclesiae radix est; Peccatores etiam incorregibiles, et si credant, fidem ementiuntur in pravis operibus pertinaces, ideoque extra Ecclesiam loco Ethnicorum locati sunt usque dum resipiscant, et

ab ipsius Matris sinu remoti permaneant per iuridicam illius sententiam.

84. Non ignoramus protestatem quemdam ministrum Iurieum in execrando suo opere *Veri Systhematis Ecclesiae*, monstruosam quamdam et á communi sensu alienam Ecclesiae, notionem dedisse, quam fuso calamo refutarunt Nicolius, Bosuetus, Tomassinus et alii. Vt fucum incautis faceret statuit quidem, quod ut quis in Ecclesia contineatur, extra quam nulla est salus, debet eamdem fidem profiteri, iisdem uti Sacramentis, legitimis que subiici pastoribus; huc usque á catholicis loquendi modis nihil differt: magna tamen est inter hunc et illos differentia quo ad sensum. Per *Ecclesiam* ille intelligit omnium sectarum collectionem: Catholici vero caetum hominum per baptismum ipsi Christo consociatorum. *Veram fidei professionem* dicit Iurieus consistere in adhaesione ad veritates fundamentales, seu fidei articulos: Catholici eam fidei professionem non ad articulos solum sed etiam ad omnes veritates ab Ecclesia decissas, cum detestatione errorum damnatorum, extendunt: *Ad Sacramentorum participationem*, satis esse existimat, ea in qualibet sectaria societate participare, licet haec cum aliis non communicet: Catholici non quamcumque participationem Sacramentorum exigunt, sed communicationem cum una eademque societate. *Ad subiectionem legitimis pastoribus*, postulare videtur adhaesionem Pastoribus cuiuscumque sectae: Catholici, tamen, requirunt regimen Pastorum communionis Apostolicae.

85. Non immorabimur in hoc horrendo errore confutando, qui totus in arbitraria illa et conficta articulorum necessariorum, et non necessariorum distinctione positus est, quo via insana relinquitur cuius que libertati ad credendum contra apostolicam, et universalem doctrinam. Apostolus 1. ad corinth. cap. 1. v. 10. sic monet: »Obsecro autem vos, »fratres, per nomen Iesu-Christi, ut id ipsum dicatis om» nes, et non sint in vobis Schismata: sitis autem perfecti » in eodem sensu, et in eadem sententia.« Quid ad haec Iurieus? Omnes rogat, ut amplectantur articulos necessarios, quorum numerum nec ipse, nec alii Protestantes potuerunt inter se divissi determinare. Omnes rogat ut amplectantur sensum obvium articulorum necessariorum, et in reliquis pro libertate impune delirent sub praetextu persuasae conscientiae. ¿Hoccine vero est apostolicum sequi mandatum *ut simus per-*

facti in eodem sensu, et in eadem doctrina? In hoc mandato nulla est articulorum fundamentalium et non fundamentalium distinctio.

86. Idem Apostolus ad Philipenses 3. v. 16: » Veruntamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus et in eadem » permaneamus regula. Imitatores mei estote fratres: et ob» servate eos, qui non ambulant, sicut habetis formam no» stram.« Ecclesia ergo Apostolica, et Catholica ad hoc pervenerat, ante Iurieum et Protestantes separatos, ut idem sentiret. ¿Cur ergo non manebit in eadem regula? ¿Cur non hortabitur universos, ut idem cum illa sentiant? ¿An regula ista, quam Apostolus proponit, consistebat in articulis solis fundamentalibus, huc usque non determinatis, nec in posterum determinandis? Apostolus ad Titum cap. 3. v. 10. ait: » haereticum hominem post unam et secundam correctionem » devita;« et in hoc generali mandato nulla est ad errores fundamentales limitatio. Novitia ergo illa inventio pugnat cum apostolica Ecclesia. Luctatur etiam cum tota antiquitate.

87. Epiphanius 70. haereses commemoravit: Theodoretus 52. ¿An omnes in fundamentalibus? Nec illi nescierunt quid scriberent, nec per alios Doctores fuit contradictum. Nihil aliud egerunt omnes Patres; nihil omnia Concilia primitivae Ecclesiae, quam quemlibet errorem reprobatum, anathemate damnare. Incapaces communionis Ecclesiasticae iudicarunt eos, qui fidei catholicae resistebant, manifestata doctrina. Caveamus igitur Iurieum et Protestantes ab Scriptura Sacra, á primis Conciliis, á Sanctis Patribus dissentientes. Ponderemus satis gravissimum esse Ecclesiam Apostolicam derelinquere, contemptis Episcopis, constituere aliud altare, precem alteram facere, et sub diversis Castris militare. Cum enim Catholicis tradita fuerit ab Apostolis doctrina, qua fiunt Christiani, nec designari possit alia vera Christi Ecclesia, quae ab initio suae institucionis in prima unitate permanserit: certe apparet apud catholicos esse veritatem fidei et Disciplinae, veritatem Scripturarum, et expositionum, omniumque traditionum Christianarum. Nec enim fieri potest ut aliter acceperint, aut aliter intellexerint fidem Christianam Ecclesiae Apostolicae, quae proferebatur ab Apostolis Verbum Dei cum vero sensu anunciantibus.

88. Caput 3. Epistolae 1. ad corinthios v. 11. et sequentibus, quo abutitur Iurieus ad stabiliendam illam á se confictam distinctionem articulorum fundamentalium, et non

fundamentalium, hanc non favet, sed destruit. Finis Apostoli est ostendere Christum esse fundamentum Ecclesiae, et Praecones Evangelii esse Christi Ministros, qui superimpositi sunt super fundamentum primarium, velut fundamenta secundaria. Hos etiam praecones accepturos mercedem suorum laborum, si superaedificaverint opera Sancta et perfecta, per doctrinam solidam, proficuam, et sinceram quae designatur per aurum, argentum, et lapides pretiosos: E contrario detrimentum passuros, qui superaedificaverint opera peccatis venialibus infecta per doctrinam minus utilem, nimis curiosam, et pomposam atque futilem, id est per doctrinam similem ligno, faeno, et stipulae: Quemadmodum interpretantur Sancti PP. quorum mentibus nusquam se obtulit monstruosa illa Iustiti distinctio, toti antiquitati ignota. Die quidem iudicii Dominus declaravit opera uniuscuiusque, et probabit per ignem tam Purgatorii, quam conflagrationis totius mundi.

89. Neque dicant durum et inhumanum esse tot homines, qui bona fide, sectam in qua nati sunt profitentur ab aeterna salute excludere, maxime cum ea sint mente, ut veritatem amplectantur, ubi se manifestaverit. Scimus quidem nullum esse haereticum, qui eo sermone non utatur; sed cum pertinaciter defendant errores ab Ecclesia damnatos, non est in illis bona fides. Praeterea, cum nec in illis vera fides Christiana sit, nec caritas, quae *donum est catholicae unitatis*, nec extra Ecclesiam sit salus, quia *ipsa proprie Spiritus Sancti pignus accepit, sine quo non remituntur ulla peccata*, nihil movere nos debet, quod Deus illos ab aeterna salute excludat, ut ab illa arcet maledicos, fures, et homocidas.

90. Reliquum est, ut de genuinis notis verae Christi Ecclesiae, per quas ab omni alia societate discernitur, agamus. Notae igitur debent esse signa sensibilia, quae omnibus aeque pateant, et cum vera Ecclesia necessario coniungantur. Has autem esse *Unitatem*, *Sanctitatem*, *Catholicitatem*, et *Apostolicitatem* scimus ex Patribus Constantinopolitani Synodi, qui illas velut nobiliores exhibuerunt, appellantes Ecclesiam *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, et *Apostolicam*. In his enim continentur sex notae ab Augustino numeratae contra epistolam fundamenti. Cum Ecclesia enim Christi necessario sunt coniunctae hae notae. Et 1. quidem *Unitas*, nam cum Christus Ioannis 10. cap. 16. dicat, *fiet unum ovile, et unus pastor*, voluit profecto gentes in fidei et veritatis *unitatem* coalescere, *ut*

filios Dei, qui erant dispersi in unum congregaret, ut legitur Ioannis 11. v. 52.

91. 2. *Sanctitas*, quia cum eo consilio Ecclesiam instituerit, ut pietatis cultores haberet, sanctitatisque studiosos, voluit christus sanctitatis fons, ut ab illo sanctificationis influxum iugiter ab ipso acciperent, qui per baptizmum Deo consecrantur, namque *se ipsum tradidit pro ea* (Ecclesia), *ut illam sanctificaret mundans lavaco aquae in verbo vitae*, sicut legitur ad Ephesios 5. *Catholicitas* etiam, quia Christi doctrina, quae tota sanctimoniam inspirat, disseminanda erat in omnibus nationibus, in omnibus locis, et in omnibus temporibus ad consummationem usque saeculi: *predicate Evangelium omni creaturae*, Matthaei ultimo: *in omnem terram exivit sonus eorum*, ad Romanos 10: *et predicabitur Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio Matthei* 24. *Apostolicitas* tandem: ad Ephesios enim 4. v. 11. »Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos:::: in opus ministe»rii, in aedificationem corporis Christi, ut non simus parvuli »fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae &c.«

92. Hae quantor notae ita sensibus omnium sunt conspicuae, sic omnium captui attemperatae, ut quivis idiota sacrarum litterarum ignarus, qui christianus fieri velit, et anceps haereat inter varias Christiani nominis sectas, possit veram Christi Ecclesiam ab aliis societatibus secernere, et ubinam sit deprehendere, quamvis eius naturam non habeat exploratam. Quemadmodum enim frigus á calore, et lumen á tenebris per notas quasdam externas secernit, licet harum qualitatum naturam non penetret; sic veram Christi Ecclesiam dicet, eam esse societatem, quae antiquitatem et originem habeat eamdem, quam ipsa religio Christiana; quae manifesta habeat signa Sanctitatis Christi eius institutoris, et per seriem pastorum non interruptam ab ipso, eiusque Apostolis, sit veluti radix et truncus, é quibus caeterae prodierint veluti totidem rami, qui tamen á trunco et radice rescici apparent. Haec inquam perfacile dignoscet, quam per privatum examen verae doctrinae, et lexitimi usus Sacramentorum, ad quae provocant Protestantes, qui in quacumque illarum sectarum gloriantur se habere veram Ecclesiam, licet inter se nomine, et re ipsa differant in doctrina. Examen illud res perquam difficilis est, nec captui omnium accommodatum, minusque notum, quam ipsa Ecclesia per quam ad verae doctrinae cognitionem pervenitur.

93. Ductus ergo idiota per illas quatuor notas ad cognitionem verae Christi Ecclesiae, namque sunt hac magis notiores, et captui cuiuscumque accommodatissimae, commodé et facile persuasus manebit in illo ordine Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Pium Septimum, qui nunc romanam Petri cathedram sedet, quocum que communicant Episcopi Romano-Catholici totius orbis, esse veram Ecclesiam á Christo institutam. Ex ipsa enim humana historia, et ex ipsa confessione societatum aliarum quae á Romana communione recesserunt, apparebit illico illarum initium, non ab ipsa Ecclesiae institutione ducere originem, sed á saeculo 16, quo furiosi quidam et ambitiosi homines turbas illas et sectas fecerunt. Ridebit etiam commentum successionis interruptae in fabulosa Ioanna Papissa, quod vel ipse Calvinianus Minister David Blondelus sic evincat in singulari dissertatione. In nulla alia secta reperiri veram illam unitatem doctrinae Christianae deprehendet, cum singulae in multis deficiant, et mutuo digladientur.

94. Sed Exponamus illas quatuor verae Ecclesiae Christi notas, quae Sedi Romanae unitatis centro visibili competunt. *Una* ergo dicitur, quia eadem fidei habet professionem, eorundem Sacramentorum usum, eamdem cum suis pastoribus coniunctionem, quorum unitas Sacerdotalis á Cathedra exorta est Petri, in urbe Roma collocata, ut ab omnibus unitas servaretur. Tanti ergo momenti est haec unitas, ut quicumque extra hanc unitatem versantur, salutem consequi non possint; namque ut ore omnium Patrum loquitur Augustinus cap. 63. Enchiridii: » Qui praeter illam est, nec » cum Deo est.....ipsa namque proprie Spiritum Sanctum pig- » nus accepit sine quo nulla remittuntur peccata." Violare enim Christi fidem per crimen haereseos, aut illius vinculum scindere per schisma, idem est ac crimen adulterii, aut scandali committere; et quemadmodum qui reus adulterii est, vel incidit in scandali peccatum, nisi resipiscat nusquam aeternam salutem consequetur; ita mirum non est, quod haeretici, et schismatici salutem consequi non possint, nisi ad fidem et communionem redierint.

95. Per unius fidei professionem membra Ecclesiae, tamquam unum corpus Christi, uniuntur capiti suo Iesu Christo: per Sacramentorum communionem fidelibus Christi sanguis ad iustificationem applicatur: et per coniunctionem cum suis pastoribus, populus fidelis subiicitur legitimis suis

rectoribus. Licet multa sint membra, corpus hominis naturale unum est; sic Ecclesia, corpus Christi misticum, unum est, quamvis multi sint fideles. Corporis naturalis hominis unitas in coniunctione membrorum consistit una viventium anima: Unitas Ecclesiae perficitur associatione fidelium in uno spiritu. Haeresis dividit unitatem fidei, schisma unitatem caritatis; et utrique unitatem obedientiae. Haeretici dicuntur, qui ab Ecclesia separantur postquam dissenserunt in iis, quae ad fidem spectant: Appellantur vero Schismatici; qui ab ipsa separatione et inobedientia inchoantes, adiecerunt perversa dogmata, *nec fraternam charitatem, nec Ecclesiasticam unitatem tenent*, ut ait S. Cyprianus Epistola 52.

96. Hinc duplex oritur Schismatis genus, unum dicitur universale, cum fit scissura in capite et membris, et quidam ultro subesse nolunt Summo Pontifici, non cognoscunt illum, ut superiorem, nec cum aliis Ecclesiae membris communicant. Caput Ecclesiae est ipse Christus, cuius vicem gerit Summus Pontifex: Qui ergo hunc non audiunt, qui hunc spernunt, Christum etiam non audiunt, Christum ipsum spernunt. Tum particulare inducitur Schisma, cum quis proprio non subest Episcopo, nec eius auctoritatem agnoscit, aut simul cum nonnullis Ecclesiis non communicat. Namque ut ait Cyprianus Epistola 59: » Ecclesia est plebs Sacerdoti » adunata, et Pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes » Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo, et » si quis cum Episcopo non sit, cum Ecclesia non esse, etiam » si obrepant, et latenter apud quosdam se communicare » credant.....Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ec- » clesia unanimes noluerunt. Ardeant licet in flammis, et ig- » nibus traditi, vel bestiis obiecti animas suas ponant, non » erit illa corona fidei, sed poena perfidiae: Occidi talis potest, » coronari non potest."

97. Ob dissidium autem quod ex Schismatibus in Ecclesia oritur, aut cum diu vacat sedes Romana, non disrumpi Pontificum successionem, nec etiam Episcoporum, vel ex eo patet, quod tunc accidit ad summum sedis vacatio, aut interregnum. Nullatenus ergo oritur successionis interruptio, ut sepe accidit dum est dissidium inter Reges, aut Imperatores super regnum aut imperium. Cum interdum sedes Romana per Schismaticos fuerit distracta, nullatenus fuit interrupta, sed in suspenso mansit. Cum iustitia aperte uni ex contendentibus favet, is est versus succesor: ubi vero non

satis constat quis locum occupare debeat, usque dum res liquida fiat neutra pars populi rea schismatis est, quia in re difficili et ambigua, utraque pars parata est iudicio Ecclesiae cedére, ut accidit in luctuosissimo Schismate anni 1378. per quod Sedes vacabit tempore 51. annorum.

98. Nulla fieret successionis scissura, si Papa incideret in haeresim. Neque enim negandum est, quin Summus Pontifex haereticus esse possit, ut ait claris. Melchior Canus cap. 8. Lib. 6. in responsione ad 11. obiectionem; quia Romanus Episcopus non fuit haeres aut privilegiorum, aut culparum, quae ex accidenti publicae Petri potestati coniungebantur. Fides interior Romani Pontificis non est necessaria Ecclesiae, nec huic occultus mentis error nocere potest. Papa tamen haereticus suam retinebit auctoritatem, donec ab Ecclesia deponatur juxta caput Papa 40. distinctione; tunc que eo ipso sedes vacans manebit quousque nové legitimé electus illam occupet. Transeamus iam ad Ecclesiae Sanctitatem.

99. Ecclesia non eo sensu *Sancta* est quod singula eius membra sanctitate praedita sint. Ecclesiae triunphantis proprium est non habere maculam neque rugam, in Ecclesia vero militante nullum est membrum in quo locum non habeat illud Ioannis 1. *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Sancta* igitur est Ecclesia propter sanctitatem Doctrinae quam profitetur, propter leges quibus regitur, propter usum Sacramentorum, et cultum divinum; et denique propter Sanctitatem eius capitis ad quam vocatur, ut ait S. Paulus ad Ephesios 1: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti et immaculati in conspectu eius.* Huic internae sanctitati non officiunt malorum Christianorum vitia, quia haec particularia sunt, et ab Ecclesia ipsa improbantur, corriguntur, et damnantur. Fuere semper, et nunc etiam sunt innumerabiles sanctitate conspicui, ut parvuli, et adulti nunc primum per baptismum regenerati, et alii quam plures. Sunt ergo in Ecclesia boni, et mali, ut in parabolis evangelicis designatur esse paleam cum tritico in area: fatuae virgines cum prudentibus simul. Externa Sanctitatis profesio absque unitate nullatenus proficit ad salutem, ajente August. Epist. 141: » *Quisquis* á Catholica Ecclesia separatus, quamtumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod » á Christi *unitate* seiunctus est, non habet vitam, sed ira » Dei manet supér eum." Id docet Fulgentius, et alii, quod

sumpserunt ab Ignatio Martire epist. ad Philadelphos: ibi enim sic loquitur: *fugite divissionem unitatis: nolite errare, fratres. Quicumque enim, separatum á veritate fuerit secutus, regnum Dei non haereditabit*. Praeter doctrinae sanctitatem, quae consequitur ex ipsa fidei unitate, et etiam Sanctitas miraculorum commendata Marci cap. 16: *signa autem, qui crediderint, haec sequentur, in nomine meo daemonia eiicient &c.* Miraculum enim verbum quoddam Dei est, et certitudo, quâ novimus miraculum, novimus doctrinam per hoc confirmatam. In Ecclesia autem Romanae communionis innumerabilia sunt miracula sic publicis testimoniis attestata, ita rerum eventibus comprobata, ut nec ab ipsis hostibus Sedis Romanae in dubium revocari possint.

100. Praecipuam Ecclesiae notam in *catholicitate* sitam Christus ipse commendavit cum Matthei 24. ait: *Et predicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*. Ex his Domini verbis apparet Evangelii promulgationem non esse limitatam huic vel illi nationi, sed omnibus gentibus, cuiuscumque aetatis, aut conditionis sint: non huic vel illi mundi angulo, sed per omnes orbis plagas: non in hoc vel illo tempore, sed ad consummationem usque, et finem saeculi. Hanc illustrem Ecclesiae notam idiotis etiam conspicuam, qua decorata fuit á suo institutore, videmus afiixam Symbolo Apostolorum, dum dicitur, *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*, et Constantinopolitano, quo praeter *unitatem*, *sanctitatem*, et *apostolicitatem*, tribuitur *signum Catholicitatis*. Hoc est non esse afixam uni loco, uni saeculo, uni nationi.

101. Sed haec uberius explicemus. Tanti fecerunt Patres hanc notam, ut non dubitaverit Pacianus haec ad Cyprianum Scribere (epistola 1.): *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomem: illud me nuncupat, hoc ostendit: hoc prodor, inde significor*. Cum Petilianus Donatista de *voce catholicae Ecclesiae* litem moveret, Augustinus 400. Episcoporum nomine, inquit: » Christianorum Catholicorum haec vox est, » nos universo orbi Christiano *communione* cohaeremus.« Haec vox *catholica* duo comprehendit, scilicet universitatem doctrinae, et universitatem communionis; namque eum catholicum, *sit quod ubique unum est*, ut docet S. Pacianus, apparet, quod *universitas*, *seu Catholicitas doctrinae*, *talis esse debet*, ut qui vel unum errorem ab Ecclesia damnatum pertinaciter sequitur, sit ab Ecclesia Catholica alienus, et *sic non erit*

Christianus Catholicus, ut docet Augustinus, quia modicum illud falsitatis fermentum totam masam corrumpit. Haec notio universalis doctrinae fidei iam comprehensa à nobis est in 1. nota, ubi de unitate verba fecimus. *Communionis* ergo *universitas*, quam vox illa *Catholica* maxime comprehendit, est illa praecipua et illustris nota, quae nec imperitissimum fallere potest.

102. Catholica ergo vocatur Ecclesia, quia societates hominum ex omni Tribu et natione, ex omnibus mundi partibus, ad quas Evangelii predicatio devenit, ab ipsis etiam Apostolicis temporibus ita unanimi consensu communicant inter se, cum suis Pastoribus, et cum eorum Primatu, ut fidei Symbolum quod profitetur idem sit in qualibet illarum societatum partialium, et in toto corpore, nec sit alia vox in una, quam in alia, sed una in omnibus et singulis, hocque ita futurum esse, ut quemadmodum huc usque nulla fuit dissentio ab incunabulis praedicationis, nec etiam erit usque ad finem mundi, et in omnibus mundi partibus. Hoc mirificé docet Lirinensis, dum in suo Commonitorio ait: » In ipsa Ca» tholica Ecclesia, ad quam non una natio, non unus an» gulus, sed maris multitudo convertitur, id teneamus, quod » *ubique*, quod *semper*, quod ab *omnibus creditum* est. *Hoc* » est *enim vere* proprieque catholicum, (quod ipsa vis no» minis declarat) quae *omnia haec* vere universaliter com» prehendit."

103. » Quae cum ita sint, ille est verus, germanusque » catholicus, inquit idem Lirinensis, qui quidquid univer» saliter antiquitus Ecclesiam tenuisse cognoverit, id solum » tenendum, credendumque decernit. Quidquid vero ab ali» quo deinceps uno praeter omnes, vel contra omnes, novum » et inauditum esse subinduci senserit, id non ad religionem, » sed ad tentationem potius intelligat pertinere." Qui ergo in qualibet Peruvii parte, et omnibus partibus illius viderit unam esse profesionem doctrinae fidei, morum, et disciplinae: observaveritque eandem esse, quae in Mexico, quae apud Hispanos, Italos, Germanos, &c. viget: optime colliget ex hac unanimi consensione, universalique communione, quae nunc est, quaeque obtinuit, ex quo semel fussa fuit per orbem doctrina illa, ad quam omnes vocati sunt absque personarum acceptione, esse vere catholicam, simulque catholicam veré esse Ecclesiam quae illam profitetur; quia est Ec-

clesia illa, quae eamdem fidem tenet, quam Apostoli in universa terra vulgarunt, et quae huc usque per eius successores tradita est, et tradetur donec veniat dies Domini.

104. Priusquam vero de ultima nota, quae est *apostolicitas*, fiat sermo, peropportunum erit solvere quamdam objectionem quae fieri plerumque solet adversus *catholicitatem*. Si comparatio instituatur inter orbis partes, in quibus Romanae Ecclesiae fides vivit, aut non omnino deleta est, cum illis ubi degunt gentiles, et qui ab Ecclesia matrice ultro recesserunt, fiet maiores orbis partes ab his esse occupatas, et minores ab illis quibus cum Roma communicat. Qui vero sic fantur, non animatvertunt pessime procedere comparando Omnes sectas ab Ecclesia Romana ultro separatas, cum ipsa Romana sede; nam que iostitui debet comparatio inter sectam quamlibet, et Romanam Ecclesiam, quae absdubio diffusior est qualibet illarum. Sic Protestantes *Luterani* et Calvinistae, qui in plurimas sectas sunt divissi locum tenent in occidente: Graeci Schismatici, etiam inter se in rebus magni momenti divissi, orientem occupant: ¿Quae vero orbis plaga est ubi non sint societates quae cum Romana Ecclesia non communicent? Sed demus tantisper, quod fides Romanae Ecclesiae ad unius forte provinciae angustias foret redacta: nihilhominus fides catholica esset, et provincia, quae illam profiteretur catholica esset Ecclesia, ait Clarissimus Canus cap. postremo Lib. 5. Ratio in promptu est, quia Ecclesiae singulae sub universali comprehensae catholicae vocitantur, quoniam unanimi sonsensu eam doctrinam profitentur, quam tenet universalis, tenuitque semper, tenebitque usque ad mundi conflagrationem. Paulus ad Colossenses 1. loquens de verbo veritatis Evangelii praedicando omnibus gentibus, per omnes mundi partes, et per omnia saecula, dixit: *pervenit ad vos, sicut in universo orbe, et fructificat, et crescit, sicut in vobis*. Succesiva ergo est propagatio ratione locorum ac temporis.

105. *Apostolica* etiam est, non solum ratione originis, et doctrinae, sed etiam ratione pastorum sibi continua serie succedentium per legitimam missionem. Tria ergo hanc notam constituunt, scilicet antiquitas originis ab ipsis Apostolis ducta: deinde successio pastorum non interrupta per quos transmissa fuerit Apostolica doctrina: postremo legitima vocatio ad ministerium praedicationis doctrinae Evangeliae ab Apostolis disseminatae. Et quidem quod ad primum attinet, Omnis Ecclesia, quae alios agnoscit Patres, quam Apostolos quibus

commissum est ius fundandi Ecclesiam, eo ipso falsitatis convincitur: namque ut ait Tertullianus Lib. 4. adversus Marcionem cap. 5.: *id verius, quod prius: id prius, quod ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis.*

106. Praeter antiquitatem requiritur etiam, quod auctoritas docentium et ipsa doctrina per successionem non interruptam ad nos usque pervenerit, namque utramque successionem urgent Sancti PP. adversus haereticos, quorum novitas, et innovatio doctrinae, ipsos falsos esse convincit. Hieronymus Epistola ad Pammachium, ait: » *Quisquis assertor est novo-* » *rum dogmatum, ¿Cur post quadringentos annos docere nite-* » *ris, quod ante nescivimus?* ¿Cur profers in medium, quod » Petrus, et Paulus edere noluerunt? Usque ad hanc diem, » sine ista doctrina, Christianus mundus fuit." Praeterea, cum Christus sic Ecclesiam instituerit, ut ad finem usque mundi permaneat in eo statu in quo eam condidit; cumque voluerit eo consilio ut á Pastoribus regeretur sibi mutuo succedentibus, extingui numquam potest, nec intercipi illa Pastorum series ab Apostolis derivata, namque ad hoc *ipse dedit quosdam Apostolos....*Pastores, Doctores, *ad consummationem Sanctorum, in aedificationem corporis sui*, ut legimus ad Ephesios 4. Sic Tertullianus Lib. de Praescriptionibus cap. 32. postulabat ab haereticis, ut *aederent origenes Ecclesiarum suarum, evolverent*que *ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.... sicut.... Romanorum Clementem á Petro ordinatum.*

107. Ex his liquet verae doctrinae evangelicae successionem insolubili nexu ligatam esse cum Pastorum successione; et quamvis in Scriptura sint plurima praedicatae doctrinae, at non omnia, nec verus illarum sensus, qui non habetur nisi ex traditione, quorum testes, custodes, et defensores fuerunt Patres, earum praecipue rerum, quae suis temporibus in controversiam venerunt. Cumque omnes uno ore *Apostolicam* appellent Sedem Romanam, matrem aliarum, seriemque non interruptam Summorum Pontificum exhibeant; quicumque á sua communione recesserunt, novas doctrinas toto coelo ab antiqua et catholica discrepantes, merito seiuncti sunt á vera et Catholica Ecclesia. Sic Cyprianus de Novatiano verba faciens Epistola 76. inquit: » Novatianus in Ecclesia » non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica,

» et Apostolicâ traditione contempta, nemini succedens, á se
» ipso ortus est.«

108. Sed hoc apertius fiet, si consideremus eos legitima vocatione seu missione esse destitutos: quae tamen missio necessaria omnino est in Pastoribus, ajente Apostolo ad Romanos 10: ¿ *Quomodo vero predicabunt, nisi mittantur?* Missio ergo ex communi usu Ecclesiae est, collatio jurisdictionis, qua quis reipsa potestatem accipit ad opus docendi, sacramenta administrandi, et Ecclesiam regendi, ab eo penes quem est potestas committendi dictam jurisdictionem. Missio alia est extraordinaria, quae á Deo immediate procedit, in ea que ministerium absque ullo medio interjecto per se ipsum tribuit Deus. Sic Moyses et Aaron á Deo missi sunt: sic Apostoli á Christo missos se esse dicebant; ideoque miraculis et indubitatis signis suam missionem probarunt: altera est ordinaria, quae fit ab hominibus potestatem vocandi habentibus; sic Sacerdotes, et Episcopi ordinantur et mittuntur ab Episcopis, et á Primate, et haec successionem non interruptam postulat: missi ab ipsis Apostolis ad regendas Ecclesias ab his fundatas, signis et prodigiis non indiguerunt, quia eorum praedicatio non erat praeter constitum ordinem, namque ut testes et custodes doctrinae iam ab Apostolis praedicatae, fides statim illis tribuebatur, et maxime cum factum publicum esset illos electos, et ad hoc deputatos fuisse ab Apostolis, munusque hoc, ipsis conspicientibus, exercerent.

109. Cum nullus dare possit, quod non habet, sequitur nullam esse missionem, quae facta sit á non habente potestatem. Aeque certum est Ministrum Ecclesiae privari posse omni jurisdictione Ecclesiastica propter doctrinam falsam, haereticam, aut Schismaticam: Sic etiam privatos ab Ecclessia Catholica per Pontifices atque Episcopos, secundum iura Ecclesiae privationem declarantes, destitutos esse legitima potestate utendi sua missione. Et certé, quamvis actiones, quas tales Episcopi exercent virtute suae ordinationis carecterem imprimant ordinatis, tamen sunt illicitae et damnabiles ob defectum auctoritatis: ipsi que ordinati, licet sint Sacerdotes aut Episcopi, quo ad caracterem, destituuntur tamen lexitima utendi auctoritate, atque sub hoc respectu nec Sacerdotes sunt, nec Episcopi: Sic Meletium, qui caput erat Meleciasorum ad Catholicam Ecelesiam recepit Concilium Nicaenum: sed abrogato Episcopatu quoad exercitium, ablata que legitima ordinandi facultate reliquit ei nudum titulum absque ministerio.

110. Fuit Constans Sanctorum PP. sententia, et in Scripturis fundata nullam esse apud haereticos Ecclesiam, adeoque nullam mittendi potestatem: atque hoc validissimo argumento urget Donatistas S. Augustinus, ut emmendato Schismate, sequerentur Ecclesiam veram, quam deseruerat Donatus; vel illam falsam declarantes, eo ipso ostenderent se omni origine destitutos esse. *Si iam tum perierat*, inquit inter alia, *¿ Donatum, quae peperit? Si autem....perire non potuit,....¿ ut ab ea se separaret, quae dementia persuasit?* Eodem insolubili argumento utimur adversus Protestantes. Primis reformatoribus separationem facientibus, ¿ vel Romana Ecclesia erat vera Ecclesia, vel non erat? Si primum, in eius communione erat permanendum: vera enim Ecclesia est perpetua ex sua institutione: Si non erat, ¿ de quo mari et lacu excierunt Novatores? A se ipsis orti omni destituuntur legitima potestate.

Quaest. An unanimis Ecclesiae per orbem dispersae consensus firmum Theologo praestet argumentum ad fidei et morum dogmata comprobanda?

111. Ecclesiam per orbem diffusam societatem quandam visibilem, perpetuam, indefectibilem, iudicemque vivum, qui decretorio et infallibili iudicio definire possit exortas de religione controversias nihil est, quod dubitemus. De Ecclesia enim illa loquimur, quam Christus fundavit et instituit in perpetuum, et de qua Ioannis 14. inquit: Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum: et capite 17: Sanctifica eos in veritate: Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, et ego eos misi in mundum....non pro eis rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Christus ergo rogat Patrem suum ut Apostoli eorumque succesores in veritate confirmentur. Sic Mathaei 28. Docete omnes gentes.... et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi: Ad Timot. 3. Ecclesia est columna et firmamentum veritatis: Matthaei 16: Portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam....Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Lucae 10. v. 16: Qui VOS audit, ME audit: Qui VOS spernit, ME spernit.

112. Haec et alia Scripturae Testimonia non de solis Apostolis, qui usque ad consummationem saeculi victuri non erant, sed etiam de suis succesoribus loquuntur; et per illa

evincitur Ecclesiam esse societatem quandam visibilem in qua sunt caput, et membra omnibus conspicua, quaeque inter se devincta per visibilem fidei professionem, sacramentorum participationem, et submissionem publicae Pastorum auctoritati, cui omnis humana ratio cedere debeat, corpus quoddam sensibile designant, quod non solum semper erit firmum in retinenda, et definienda fide, sed etiam permanebit indefectibile, quo ad publicum et visibile ministerium, per continuatam Pastorum succesionem, ita ut in hac societate sapientissime instituta esset auctoritas semper recte iudicans, hominibus que accommoda, propter Christi promissum de infallibili eius, et Divini eiusdem spiritus asistentia.

113. Hoc Ecclesiae privilegium non errandi in docendo, et in decernanda Verbi Dei genuina intelligentia, sine qua vera doctrina praedicari non potest, non solum fuit concessum Ecclesiae collectae in Conciliis, sed etiam Ecclesiae dispersae, quia haec non solum est imago et representatio Ecclesiae, sed ipsa Ecclesia, ubi sunt Pastores regentes subditum gregem, et etiam fideles, qui eos audire tenentur. Universa igitur Ecclesia cum Romano Pontifice, tamquam cum suo ministeriali capite coniuncta, in iis, quae fidei sunt, immunis ab errore habetur. His praemissis hanc damus conclusionem.

114. Unanimis Ecclesiae per orbem diffusae consensus firmum Theologo praestat argumentum ad fidei morumque dogmata comprobanda.

Probatur conclusio. Firmum praestari Theologo argumentum ex auctoritate privilegio infallibilitasis donata, certo certius est: huiusmodi autem gaudere auctoritate Ecclesiam per orbem dispersam, dum Rectores unanimi consensu quid docent in fidei morumque doctrina, vel ex eo apparet, quod Ecclesia dispersa non minus feliciter, quam collecta, omnia exequitur, siquidem semper regitur eodem Divino Spiritu, moderante, et asistente, quin etiam perdifficilis sepe est recursus ad Conciliorum Congregationem, ut ibi fidei controversiae finiantur: Si enim spectanda semper foret generalis Concilii congregatio, evanesceet profecto regula illa vivens, ac spirans, quam Christus constantem ac perpetuam esse voluit in sua Ecclesia ad componenda fidei dissidia: nullus praeterea futurus erit dissentionum finis: error impune grassaretur, mentesque fidelium misere infestaret: rebelles ac contumaces nulla ratione poterunt in officio contineri, et coerceri: quis-

que privatus pro suo captu et arbitrio iudex et arbiter erit controversiarum in rebus tanti momenti: Tot inde erunt Religiones quod capita, summaque rerum confusio ac perturbatio. ¿ Quis vero sanae mentis sibi persuadeat Sapientiam incarnatam tam malé consuluisse Sponsae suae Ecclesiae quam proprio sanguine acquisivit? Maneat ergo Ecclesiam dispersam et unanimem infallibili auctoritate pollere.

115. Obj. 1. Ut Spiritus Sanctus Episcopis de fide pronuntiantibus ope singulari adesse censeatur, necessaria est praevia de re controversa disquisitio examenque satis accuratum, namque haec est una ex illis conditionibus quas requirit Spiritus Sancti asistentia: sic enim Actorum 15. in controversia de legalibus observandis facta memoretur magna conquisitio: Iam vero nullo satis firmo argumento demonstrari potest haec conquisitio facta ab Episcopis dispersis: ergo vim nullam habet dispersae Ecclesiae consensus ad firmanda fidei dogmata.

116. R. Magna temeritate, ac irreverentia erga Episcopos dispersos, supponi, quod dum hi communi consensu sive tacito sive expresso acceptant latum á Sede Apostolica Decretum, non observaverint conditiones, á quarum executione pendet divina promissio asistentiae: nam cum Deus omnia suaviter disponat, simul que prospiciat, et finem, et media ad hunc necessaria; sequitur quod cum promisserit Ecclesiae suae firmitatem fidei, deesse non potest in tribuendis praesidiis, quibus haec firmitas conservatur. Sic que Apostolicis de fide ac moribus Decretis, quibus dispersa Ecclesia adquiescit, prompto animo, et absque ulla disquisitione obtemperandum est.

117. Obj. 2. Explicari non potest an hic Ecclesiarum consensus debeat esse tacitus, vel expressus. Ex eo ergo nihil concluditur.

118. R. Quod in Ecclesiis quarum sinu orta est controversia est necessarius consensus expressus, ut constat ex ipsius Ecclesiae usu, et ex Sancto Augustino Lib. 4. ad Bonifacium cap. ultimo, ubi ait, *multas extitisse haereses, quae sine Conciliis, ubi extiterunt, illic improbari, atque damnari meruerunt.* Sic Eusebio teste damnatae fuerunt haereses Saturnini, Basilidis, Valentini, Cerdonis, et Marcionis. In Ecclesiis vero aliis tacitus consensus, seu non reclamatio sufficit. Egregié S. Augustinus Epistola 55. ad Ianuarium inquit: *Porro Ecclesia Dei, quae sunt contra fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.*

119. Obj. 3. Cum causa fidei sit omnibus communis, sequitur expectandum fore in fidei controversiis consensum etiam laicorum et mulierculatum ex quibus Ecclesia dispersa componitur: Cum vero impossibile sit explorare horum consensum, relinquitur non posse deduci firmum argumentum ex Ecclesiae dispersae consensu.

120. R. Fidei causam ad omnes pertinere sed modo longe dissimili: ad Pastores ut Magistros publicos iuxta illud Lucae 10. *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*: ad fideles vero ut Discipulos, qui non docere, et pascere; sed pasci, et audire tenentur. Praeterea in fidei negotio duplex est quaestionum genus: primum earum rerum, quae aperta et constanti professione tenentur á fidelibus et pastoribus, et in his non quaeritur quid sentiat diffusa Ecclesia, quia una est catholicorum omnium vox, et huius generis erant veritates quas convellebat Arius: Alterum earum, quae in illis doctrinae christianae partibus versatur, quae altercationum nebulis obscuratae sunt, et nondum ad liquidam veritatem perductae; et in his spectandus non est concors fidelium et pastorum sensus; sed exquirere per antiquam traditionem quid firmandum sit per consensum moraliter universale, vel pastorum Ecclesiae in Ecclesia diffusorum, vel in Synodo congregatorum, si haec congregatio haberi possit.

121. Obj. 4. Licet Synagoga maxima á Deo promissa acceperit, erravit Christum damnando: ex quo ergo Christus plurima pollicitus fuerit Ecclesiae nihil colligi potest pro eius inerrantia.

122. R. Quod quamvis Synagoga in multis ab Ecclesia Christiana differat, sufficiet illud discriminis asignare, quod Dei promissa Sinagogae facta temporariae fuerint: quae vero promissiones ad Ecclesiam spectant, absolutae sunt, et perpetuae.

123. Obj. 5. Omnes Ecclesiarum particuliarium Episcopi, qui Apostolis in ministerio succedunt, fidem amittere possunt, quemadmodum illam amisserunt omnes Apostoli passionis Tempore, ut constat ex cap. 26. Matthaei, et Lucae 24: quare Aug. in Ps. 68. ait »*omnes* discipuli desperaverunt, » quod ipse esset Christus:» ergo.

124. R. Quod illa Matthaei, et Lucae loca illud tantum ostendunt, quod in Apostolis non fuit tempore passionis fides illa viva, quae per dilectionem operatur; non vero, quod aberraverint á rectis fidei semitis: Nec aliud intendit Augustinus, namque post illa verba, statim haec adiicit: *A*

Latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt. Caruerunt ergo tunc fide illa viva Latronis, qua meruit audire á Christo: *hodie mecum eris in paradiso.*

125. Obj. 6. Singulae Ecclesiae non habent erroris immunitatem, namque Alexandrina, Antiochena, et Constantinopolitana in errore versari pervulgatum est: Universalis ergo Ecclesia ex illis coalescens non est immunis ab errore.

126. R. Quod promissiones Christi factae non sunt huic vel illi Episcopo, sed Episcoporum collectioni: pollicetur enim quód usque ad finem mundi erit cum illis docentibus, cum Matthaei ultimo inquit, euntes docete: ecce vobiscum sunt omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Nisi ergo Divinae procurationis et asistentiae haberetur ratio Universalis Ecclesiarum consensus non fidem divinam, sed humanam produceret.

Scholion.

127. Inter eos qui auctoritatem Ecclesiae impugnant, sunt qui Scripturae auctoritatem agnoscere nollunt, et tunc argumenta non sumuntur ex ipsa Scriptura, quae res ab illis ignota nominatur, sed ex motivis credibilitatis, quae auctoritem Ecclesiae conciliant. Alii, ut Potestantes, et Pseudo reformati Scripturam fatentur divinam: et cum in illa sint magnae promissiones Ecclesiae factae, merito sumptis Scripturis, ut principio etiam iuxta illos inconcuso, urgemus non nullos locos in sensu obvio, et litterali agnito in tota saeculorum serie, ut adversarii, vel inviti, fateri cogantur infallibilem Ecclesiae auctoritatem.

Observatio.

Minus accurate, ac castigate scripsisse Almainum (Tractatu de auctoritate Ecclesiae capite 10.) nos docet Tournelyus (pag. 159. tom. 5.): ibi quidem inquit Almainus: *Ecclesiam ut dispersam nullum actum iurisdictionis exercere, nec aliquid sententialiter definire; et sic ei infallibilitatem in definiendo competere, ut congregatae in Concilio.* Quum enim in repraesentante non sit alia, quam in repraesentato auctoritas, ut recta sit repraesentatio: nequit Concilium generale universalem Ecclesiam repraesentans activa gaudere infallibilitate, et veré iudicare, quin hanc iurisdictionem ab Ecclesia univer-

sali dispersa mutuetur. Consensu igitur suo tacito vim ineluctabilem confert, et impertitur sive Apostolicis de fide constitutionibus, sive cum recipit privatorum Conciliorum statuta, quemadmodum in proscriptione Pelagianae haeresis per totum terrarum orbem scimus accidisse.

Quaest. ¿Quem Primatum in Ecclesia obtineat Summus Pontifex?

129. Primatus nomine intelligitur cum dignitatis et honoris praerogativa, tum etiam praeeminentia potestatis, et iurisdictionis: Hinc duplex illa primatus divisio vulgaris. Qui primum locum inter aequales obtinet, absque ulla supra illos auctoritate, honoris solum gaudet primatu: qui vero aliis praest, ut illis superior potestate, atque auctoritate, primatum habet iurisdictionis. Quum vero Romanus Pontifex, ut Petri succesor non aliam habeat auctoritatem, nisi eam quam Petrus á Christo Domino accepit, et supra ceteros Apostolos exercuit, nihil non tentarunt Wiclefus, Husius, Luterus, et Calvinus post Photium Constantinopolitanum Patriarcham, ut penitus de medio tollerent Sancti Petri eiusque Succesorum Primatum. Quidam cum Edmundo Richerio deprimunt, violantque legitima Primatus privilegia cum asserunt claves, seu iurisdictionis potestatem uni, et soli Ecclesiae datas immediaté á Christo, Petro autem eiusque succesoribus mediaté per Ecclesiam, sic que Papam esse caput Ecclesiae Symbolicum, ministeriale, accidentale, et non necessarium, quasi Christus non expressé dixerit Petro: *Tibi dabo claves*, *Matthei* cap. 16.; vel quasi Pontifex esset simplex Ecclesiae Minister, quo ad executionem potestatis.

130. Quamvis non omnes Theologi conveniant in quibusdam praerogativis ex Primatu descendentibus, velut quód Papa sit Ecclesiae totius Monarca, et Episcopus universalis, fatentur tamen unanimi consensu Summum Pontificem esse primum inter omnes Episcopos, qui, hoc ipso quod dignitate ac praecellentia suae sedis plus habet auctoritatis, debet pro bono unitatis Ecclesiae continuo invigilare, ut veritas tueatur, ut promoveatur virtus, ut profanae arceantur novitates, utque integra servetur disciplina. Quisquis enim primus est ordine, et auctoritate in quocumque societatis corpore, necessaria instructus est potestate ad tuendas ipsius societatis leges, et refragantes compellendos ad earum observantiam per me-

dia in eum finem statuta. Quumque genuinum Primatus fundamentum sit bonum unitatis Ecclesiasticae tueri, omnia illa et sola sine quibus unitas servari non potest sunt essentialia, et genuina Primatus iura. In Romano enim catechismo (ad artic. 9. Symboli §. 12.) haec habentur: »*fuit illa Omnium* » *Patrum ratio*, et sententia consentiens, *hoc visibile caput* » *ad unitatem Ecclesiae* constituendam, et conservandam necessarium fuisse.” Quibus delibatis, hanc damus conclusionem.

131. Sumus Pontifex Primatum honoris et auctoritatis habet in Ecclesia, et iure quidem divino. Huius hortodoxae veritatis probationes seligamus, ne longiores simus. Sit igitur haec prima: Versu 18. cap. 16. Matthaei Christus Dominus haec dixit Petro: »*Tu est Petrus, et super hanc petram aedificabo Eccle*» *siam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: Et Tibi dabo claves regni coelorum*, et quodcumque ligaberis *super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis.* Hanc clavium potestatem ipsi contulit Ioannis 21. cum dixit, *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Super quae haec habet Augustinus Serm. 46. »In ipso Petro unitatem commendavit: Multi erant Apostoli, et uni dicitur: Pasce oves» S. Cyprianus Epistola 73: Ecclesia est una, et super unum, qui claves accepit Domini voce fundata. »Origenes in cap. 6. Epistolae ad » Romanos, ait: »Summam rerum de pascendis ovibus Petro » traditam fuisse, et *super ipsum*, velut *super petram*, fun» datam esse Ecclesiam.» S. Hieronymus in caput 16. Matthei haec ait: »Simoni, qui credebat in Petram Christum, » Petri largitus est nomen: Ac secundum metaphoram petrae, » recté dicitur: Aedificabo Ecclesiam meam *super te.* »San» ct. Basilius Homilia 18. de poenitentia: »At Petrus dixe» rat antea. Tu est Filius Dei Excelsi: et vicissim audierat » *se* esse *Petram* laudatus á Domino....Iesus Petra est, ut » Petram faciat.» Quid plura?

132. Probatur 2. Ecclesia corpus unum est: ut ad Ephes. 4. *unum corpus, et unus Spiritus*, et ad Roman. 12. *multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra*: Quemadmodum autem in membrorum visibili multitudine ordinata visibile caput unum est, quod omnia membra regit et nectit: ita in Ecclesia Christi visibili fuit instituta ea regiminis forma, quae non in Sancto Petro solum, sed in eius successoribus ita eluceret, ut iuxta Sancti Chri-

sologi dictum accipiendi sint Romani Potifices tamquam una Petri persona, *qui in suis succesoribus vivit, et praesidet.* Hinc S. Chrisostom. Lib. 2. de Sacerdotio inquit: *Quanam de causa* (Christus) *sanguinem effudit suum? Certé, ut oves eas adquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri succesoribus commitebat....Quae cum Petrus ageret, illum Christus auctoritate praeditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe praecellere.*

133. ¿Quis vero poterit, vel selectiora, quae ex Conciliis in hanc rem ocurrunt, á Nicaeno 1. incipiendo, congerere? Sat ergo sit, ut brevitati consulamus, Florentini Concilii definitionem in litteris unionis transcribere. Re igitur inter Latinos et Graecos discussa, utrisque consentientibus, tandem fuit determinata his verbis: *Definimus Sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Romanum Pontificem succesorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et Verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum Patrem, ac doctorem existere; et ipsi B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam á Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in Sacris canonibus continetur.* Ex his verbis apparet, nihil novi fuisse Romano Pontifici tributum, sed explicatam illam dignitatem et auctoritatem, quam in Persona Sancti Petri á Christo acceperat.

134. Obj. 1. Verba illa Matthaei 16. *et super hanc petram* nihil pro Summi Pontificis Primatu concludunt: namque quidam Patres cum Origine per Petram fideles intelligunt: *Tu est Petrus*, inquit Origenes: (tract. primo super caput 16. Matthaei) *Petra enim est quilibet Christi Discipulus, et super talem Petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina.* Alii PP. S. Augustino duce Sermone 147. de Sanctis, inquiunt Petram esse ceteros Apostolos: *in uno Petro figurabatur unitas Pastorum:* (et tractatu 108. in Ioannem) *ideo unus pro omnibus, ut unitas in omnibus:* Alii per Petram, ipsum Christum Dominum intelligunt cum S. Augustino Lib. 1. Retractationum cap. 21. *Tu est Petrus: Petra autem erat Christus, quem confesus Simon.* Alii denique per petram, dicunt intelligi ipsam Ecclesiam in cuius nomine claves accepit Petrus: Sic S Augustinus tractatu 50. in Ioannem: *Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia.. Si hoc ergo in Ecclesia fit: Petrus quando claves accepit, Ecclesiam Sanctam*

significavit : ergo per Petram in Matthaei textu non intelligitur Petrus: Et in super, quum SS. PP. salva fidei veritate sacros textus in varios sensus exponunt, firmum pro uno sensu, aliis exclusis, erui non potest Theologicum argumentum.

135. R. Quod licet aeque catholicae sint variae PP. et commentatorum Expositiones textus illius Matthaei 16: *et super hanc Petram*, id tamen discriminis inter illas est, quod ab initio Ecclesiae per quatuor saeculorum seriem non interruptam viguit illa expositio, et sola tradita fuit, quae verba illa refert ad ipsam Petri Personam, sic que est primitiva immediata, perpetua, et litteralis interpraetatio, quam supponunt, et expresse includunt, ceterae illae adventitiae, temporaneae et non litterales, quae post Arianam haeresim solum ortum habuere, ut optimé animatvertit Natalis Alexander Dissertat. 4. Saeculi 1. Manet ergo locum Matthaei super hanc petram de Persona Petri litteraliter loqui ad mentem PP. varias que alias ipsorum interpretationes, hanc supponere, nec illi revera adversari, sicque magnum Theologicum fundamentum praestare ad Primatum Sancti Petri adversus haereticos tuendum.

136. Sed descendamus ad singula PP. loca. Confessio Petri ab ipsis appellatur fundamentum Ecclesiae non ad litteram sed metonimice, et per quamdam translationem effectus ad causam, quia ob meritum huius confessionis fuit Petrus constitutus fundamentum, et caput totius Ecclesiae, ut istius regimen sumeret tamquam primus inter Apostolos, non ut unicus. Quare S. Hieronymus Lib. 1. contra Iovinianum, inquit: *Licet Super Omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo soliditur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, Schismatis tolleretur ocasio.* Exquo S. Petrus Ecclesiae figuram portarit, nullatenus sequitur ipsi veré, realiter, et personaliter non fuisse collatas claves Ecclesiae, quemadmodum colligi non potest Christum veré baptizatum non fuisse ex quo Augustinus 15. de Civitate Dei cap. 26. dicat, *Christum gesisse figuram Ecclesiae, quando baptizatus est.* Similiter, ex quo Christus sit *Petra per excellentiam*, nullatenus colligitur Petrum non esse *petram per participationem*, et hoc est quod Sanctus Augustinus intendit cum inquit, *Petra erat Christus.* Dum Origenes per petram fideles intelligit, non ad litteram, sed allegorice sumit textum Matthaei, quia scilicet ex fidelibus conflatur Ecclesia.

137. Obj. 2. Christus Dominus omnes, et singulos Apostolorum immediaté vocavit ad Apostolatum illos que in mundum universum missit cum ampla potestate alios eligendi, et asumendi, id que continua Successione usque ad saeculi consummationem. Sic Lucae 6. legimus, *vocabit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* Dixit ipse illis Marci 16: *euntes in mundum universum predicate evangelium omni creaturae:* et Ioannis 20: Sicut missit me Pater, et ego mitto vos: et tandem Matthei 18 Quaecumque alligaveritis &c: ergo quemadmodum Petro et Pontificibus eius succesoribus Christus dedit suam Ecclesiam fundandam, docendam, et regendam, ita singulis Apostolis eorumque succesoribus Episcopis commissit idem opus. ¿In quo ergo constituta est Primatus ratio?

138. R. Quod Primatus in hoc situs est, quod S. Petrus et Pontifex eius succesor sit centrum et origo unitatis Ecclesiasticae, et Romana sedes sit *Ecclesia adquam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, quemadmodum* cum Sancto Irenaeo tradunt omnes antiqui PP. Textus igitur adducti illud unice convincunt auctoritatem Episcoporum aeque ac Romanorum Pontificum á Deo descendere, sicque unam esse ratione principii á quo dimanat, non vero tam late utramque porrigi. *Succesisse quidem Episcopos in locum Apostolorum, et ad ordinem Hierarchicum Ecclesiae praecipue pertinere* declaravit Synodus Tridentina Cap. 4. Sessionis 23. Illa tamen succesio non est in praerogativis temporariis, ut fuit plenitudo scientiae, infalibilitas personalis doctrinae &c. quia in his nulla est succesio; sed in Ecclesiae regimine, et Ecclesiae administratione cum dependentia et subordinatione ad Romani Pontificis auctoritatem, ubi est origo et radix unitatis, ut ait Lirinensis in Commonitorio. Quod melius patebit si brevi calamo exponatur quod Apostolis erat commune cum Petro, et quod erat Petri proprium ratione Primatus.

139. Hoc inter S. Petrum et reliquos Apostolos interest, quod quando Christus direxit sermonem ad omnes, id iisdem tribuit, quod omnibus est commune, et inquo sunt aequales, ut est potestas sacrificii offerendi, docendi omnes gentes; baptizandi, retinendi peccata, vel ipsa solvendi, et quidquid ad alia munera spectat: cum vero sermonem convertit ad unum Petrum, ipsi tribuit, quod ipsius proprium est, ipsi que soli committit, ut in Ecclesia constitueret unitatem, eumdemque

Petrum huius unitatis principium et fundamentum instituit ita, ut ceteri cum illo cohaereant, ut sint unum corpus, ob unitatem, quam habere debent cum capite, sine quo nullam potestatem exercere queunt. Nec aliud voluit Cyprianus cum Libro de unitate Ecclesiae dixit: *Quamvis Apostolis post resurrectionem suam parem potestatem tribuat....,tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem, ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.* In eundem sensum epistola 73. inquit: *Petrus* super quem *dominus aedificavit Ecclesiam, et unitatis originem instituit.*

140. Obj. 3. Claves datae sunt Apostolis eorumque succesoribus Episcopis ab ipso Christo Ioannis 20. *sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remisseritis peccata &c.* Quare S. Cyprianus aiebat *Episcopatus unus est, cuius pars à singulis in solidum tenetur.* Unitati ergo Ecclesiae datae sunt Claves, et non Petro, nec eius succesoribus.

141. R. Quod cum Ecclesia una sit, unus quoque est Episcopatus ratione communionis omnium membrorum; sed sunt in hoc Episcopatu plures gradus, in quorum fastigio est summus Pontifex, ut unitatis centrum, et origo. Claves ergo datae sunt et Petro, et unitati Apostolorum, sed diversa ratione, illi ut capiti, quod posset Apostolos in officio continere: his, ut suum apostolicum munus exercerent servata Ecclesiae unitate, per communionem cum capite, et ordinatione ad ipsum.

142. Obiicies. Cap. 2. Epistolae ad Galatas Paulus inquit: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*: Non poterat autem Paulus Petrum reprehendere, nisi Petrus fuisset Paulo inferior: inferior ergo erat Petrus, et iure reprehensibilis, quia erravit simulans se observare legem Mosaycam, quasi adhuc obligantem, cum id revera non intenderet; quia sciebat eam esse abolitam Act. 15. v. 10.

143. R. Quod Sanctus Paulus agnovit S. Petrum tamquam Principem et caput totius Ecclesiae, et ut talem honoravit, ut docent SS. PP. Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius et Theodoretus explanantes sic versum 19. capitis 2. epistolae ad Galatas: *deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum quindecim diebus.* In-

cauta et importuna illa simulatio iudaismi fuit veniale peccatum, non erroris in fide, sed in facto. Huic indiscretioni, et vano Petri timori Iudaeos displicendi, occurrit prudenti zelo Paulus reprehendens Petrum non tamquam inferiorem, sed quia sic bonum Ecclesiae publicum postulabat. In hoc emicuit Pauli libertas cum Petri docilitate in Ecclesiae utilitatem. Unde Magnus Gregorius homilia 6. libri 2. in Ezechiel haec habet: *Ecce Petrus á minori suo reprehenditur, et reprehendi non dedignatur.* Et Augustinus epistola 82: *est laus iustae libertatis in Paulo, et Sanctae humilitatis in Petro.* Tertulianus de Praescriptionibus, inquit: *Ceterum, si reprehensus est Petrus, conversationis fuit vitium, non praedicationis.*

Observatio

In perpetua nos gratiarum actione occupari debere, quod beneficio prorsus, indebito Christus ad suam Ecclesiam veram ab ipsis incunabulis perduxerit, nihil est quod dubitemus. Tristissima quidem experientia notum est eos, qui in sectarum erroribus nati, enutritique sunt, non nisi aegre admodum ad fidem catholicam serio amplectendam adduci. Ne vero graviorem damnationem nobis ex ingratitudine asciscamus, omne collocemus studium in fide nostra operibus verae pietatis comprobanda. Frequenter etiam ingemiscamus infidelium, haereticorum, et schismaticorum tenebras, et caecitatem, ut per viscera misericordiae Dei nostri visitentur, dirigantur, et illuminentur. Hoc nobis faciendum omnibus diebus nostris, si vere servimus, et ambulamus in sanctitate, et iustitia coram Deo. Eius Ecclesiam, ut dispersam huc usque consideravimus: praestat iam illam in Conciliis congregatam expectare.

CONSPECTUS LIBRI QUARTI.

In quaedam capita et propositiones tributus.

De Ecclesia in Conciliis congregata Caput primum á n. 1. ad 6.

Concilium appellatur coetus Episcoporum in uno loco convenientium, ut ex communi sensu ea dijudicent, quae ad fidem, mores, et disciplinam pertinent. Ex actis Apostolorum apparet necessitas concilia celebrandi, quando de rebus agitur dubiis, et magni momenti. Ut legitima sit haec convocatio necesse est, quod fiat iuxta Sacros Ecclesiae Canones, et quod non violentur civiles Regnorum leges, quibus eius tranquilitas externa conservatur. Concilia quidem vel sunt generalia, vel particularia: haec tribuuntur in nationalia, provincialia, et diocoesana. Aureis tribus primis Ecclesiae Saeculis non Conciliorum generalium auctoritate, sed solo Ecclesiae consensu per litteras communionis Episcoporum extinctae fuerunt haereses in illis subortae: remisso tamen persecutionum furore sub Constantino magno, et sub aliis Imperatoribus mos in Ecclesia obtinuit convocandi concilia. Communiter numerari solent novendecim Concilia generalia, quae per seriem saeculorum tributa á 4. ad 16. saeculum exhibentur.

Caput secundum á n. 7. ad 20.

Ius primarium et proprium concilia generalia convocandi, praesidendi, sententias rogandi cum praerogativa suffragii, et quae sunt decreta confirmandi est penes Summum Pontificem: Sunt vero nonnulli casus á Theologis, et Canonistis designati, quibus universale Concilium absque Summo Pontifice congregari potest iure extraordinario.

Caput tertium á n. 21. ad 24.

Quaenam sint ad generale concilium requisita exponitur, et insuper quod illorum firmitas nullatenus venire potest á Principibus saecularibus. Sex enumerantur causae, quae afferri solent concilia generalia celebrandi.

Caput quartum á n. 24. ad 27.

Quamquam concilia nationalia, provincialia, et episcopalia constituta fuerint ad sanciendam disciplinam, interdum tamen quaedam ad fidem, et mores pertinentia agebantur, quae in regulam fidei, et vivendi praecepta transcierunt post aliarum Ecclesiarum acceptationem. Temporis compendium faciet qui quinque Sancti Caroli Mediolanensia Concilia

legem; quidquid, namque, in Christiana ethica est necessarium: quidquid in ecclesiastica doctrina reperitur praesentis Ecclesiae moribus consentaneum: quidquid in Sacris Canonibus oportunum reperiri potuit, id totum in illis constitutionibus expressum est. Provinciae Mediolanensis constituta reliquis Provinciis communia esse vel ex eo solo patet, quod Scriptores illarum sapientissimi eas usurpant. Episcopi, in quibus est origo et fons ecclesiasticorum sacrorumque officiorum, sui populi mores apprimé cognitos habent, ideoque illis magna obedientia, et reverentia debetur, et præcipue ubi de disciplina morum agitur: Sicque omnes Theologi, et Canonistae urgent vim legum, et praeceptorum Episcopalium, docentque nulla posse appellatione suspendi.

Caput quintum á n. 28. ad. 30.

Ad discutionem decissionemque cuiuslibet dogmatis inquisit Ecclesia in Conciliis quid ex Scriptura, et Traditione constare possit ad rem de qua quaeritur iudicandam. Ad hoc vetustissima versat Patrum opera, et non interruptam Ecclesiarum consuetudinem. Quoties vero agitur de morum controversia, praeter Scripturam, et Traditionem oculos vertit ad Ius naturale, et Ecclesiasticum. In rebus autem ad disciplinam, ritus, et ceremonias pertinentibus non uno eodemque modo procedit.

Caput sextum á n. 31. ad 33.

Dogmata, definitiones, et Caensurae Synodorum non sunt eiusdem clasis: quaedam enim veritates definiuntur, *ut dogmata fidei divinae*; aliae, ut *conclusiones Theologicae*: aliae laudantur, *ut piae, et salutares consuetudines*; non nulla sunt, *quae ut probabiliora placent*; multa singulari studio *indefinita relinquuntur*. Attento animo secerni debet conciliorum decissio ab his, quae probationis loco afferuntur. Decisisio proprié loquendo est quod credendum proponitur, et definitur: non autem motivum, nec ea quae obiter dicta sunt. Textus etiam Scripturae á Concilio allegati non illico credendum est illos sic, et non aliter debere intelligi, nisi hoc aperte dicatur, quemadmodum quibusdam exemplis comprobatur. Constanter amplecti debent mysteria quae docet Concilium, licet non aeque fixus sit modus illa explicandi, et defendendi.

Caput septimum á n. 34. ad 35.

Tam in capitibus, quam in Canonibus Concilii Tridentini continetur quid credendum, quid damnamdum sit. In hoc Concilio, et in aliis misceri solent quaedam sententiae

Theologicae, quae tamen idcirco, ut definitae iudicandae non sunt. Scité docemur á Cano sat non esse, quod in Divino officio publicé quaedam á tota Ecclesia celebrentur, ut Conciliorum iudicia super haec firma esse credantur. Quidquid etiam in iure Canonico continetur non statim tenendum est fide catholica esse credendum, nisi toti Ecclesiae cum credendi obligatione proponatur.

Propositio prima á n. 38. ad 51.

Firmum certumque Theologo praestat argumentum ad res fidei, et morum tuendas Conciliorum generalium legitimorum auctoritas.

Propositio secunda á n. 52. ad 64.

Conciliorum generalium auctoritas in factis dogmaticis declarandis non est eadem ac illa, qua gaudet in sanciendis Ecclesiae dogmatibus.

De Iure Canonico. Caput primum á n. 65. ad 71.

Tanta est Theologiae cum iure Canonico adfinitas, ut nisi altera cum altera facultate coniungatur, mutuum que sibi lumen praestent fieri non possint in alterutra progressiones. Ius canonicum continet regulas ad Christiani populi actiones dirigendas in ordine ad felicitatem aeternam. Hoc ius appellari solet Sacrum, Ecclesiasticum, et Pontificium. Canonica disciplina, qua erudimur ad veram iustitiam, tota tendit ad Dei amorem; utiturque iure scripto, non scripto, et consuetudine. Septem numerantur constitutionum Ecclesiasticarum species, ut canon, dogma, decretum, decretalis epistola, mandatum, interdictum, et sanctio, quamvis auctores soleant promisque has voces usurpare.

Caput secundum á n. 72. ad 73.

Etsi per sacrorum canonum collectiones in unum ex innumeris voluminibus maxime studentium commoditati, utilitati que consultum sit; fatendum tamen est per incertitudinis campos vagari quod quod canonum Codices ante Gratianum editi fuerunt, nec aliquem produci posse, qui totius Ecclesiae auctoritate probatus indubiam in omnibus fidem facere possit, sive inter graecas, sive inter vetustas latinas collectiones.

Caput tertium á n. 74. ad 80.

Vulgaris, et trita hodie Eruditorum sententia est Omnes generatim canones, qui Apostolorum nomine circunferun-

tur nec ab Apostolis esse conditos, neque á S. Clemente Apostolorum nomine promulgatos: animatvertendum tamen est hosce Canones antiquissimam habere originem, maxima ex parte probatos fuisse apud Graecos, et quaecumque sit illorum auctoritas, plurimum valere ad veteris disciplinae monumenta discernenda. Magnis etiam in antiquitate Ecclesiastica versatissimis viris placet Constitutiones Apostolorum nomine inscriptas, suppositas esse ipsis Apostolis, et Sancto Clementi Romano. Tritissima etiam Eruditorum sententia est Veterum Pontificum Romanorum ad Siricium usque Decretales epistolas, quae in Mercatoris collectione continentur, suppositiitias esse, et vix inveniri, qui has Isidori fabulas sequatur. Ex quo vero apocriphae sint illae Decretales epistolae, concludendum non est doctrinae catholicae adversari.

Caput quartum á n. 81. ad 86.

Gratiani collectio, quae Decreti nomine dignoscitur, non plus auctoritatis habet, quam fontes ex quibus desumpti sunt Canones, et á pluribus mendis purgata est magnorum virorum studio. Praeter Gratiani Decretum, in tres partes divissum, hodiernum iuris canonici corpus quinque continet Decretalium Libros, Sextum, Clementinas, Extravagantes que communes et particulares. In magno Bullario, multis voluminibus constante colliguntur Bullae, Brevia, pluraque alia. Ne in iuris canonici primo limine consistere velimus, adeamus inter alios Ius canonicum universum Van-Espenii, quem Benedictus 14. nusquam sine magna laude commemorat. Hunc in epitomem quam commodissimam redegit Benedictus Oberhauser. Canone 25. Concilii 4. Toletani haec habentur. *Sciant Sacerdotes Scripturas sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in doctrinâ, et praedicatione consistat, atque aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplinâ.*

De iure Civili. Caput primum á n. 87. ad 89.

Quamvis ius Civile nihil fere aliud sit, quam iuris ipsius naturalis ad certam civitatem, vel regnum applicatio, atque adeo ad rationis naturalis provinciam proprie pertineat; quum tamen hodierna iuris canonici notitia sine iuris civilis scientia comparari haud valeat, et altera vix possit ab altera divelli: post brevem Canonici iuris ideam, brevissimam iuris civilis notionem adiicimus: in quo mira relucet Sacerdotii et

Imperii concordia, necessitasque iuris provinciam peragrandi ad innumeros casus, qui sine legis civilis cognitione definiri nequeunt.

Caput secundum á n. 90. ad 93.

Ius Civile commune, et particulare regni, vel nationis suae Theologus discere debet illas leges perlustrando, quae christiani populi usu et more observatae diu sunt. In collectione Legum septem Partitarum, et novissimae recopilationis sunt Leges, quibus et fides catholica, et civilis societas inter Hispaniarum regnicolas conservatur. Quum tamen in his praecipua iuris romani capita contineantur, et in hac parte confirmata sint á nostris Legibus hispanis, inde oritur necessitas studii collectionis communis iuris. Haec collectio in quatuor partes tributa est. In prima sunt quatuor lib.i Institutionum Iustiniani: in 2. 50. Libri Digestorum: in 3. invenitur Codex repetitae praalectionis; et in quarta Autheoticae ceu Novellae Constitutiones á Iustiniano latae. Oportet quod Theologus non diu iuris civilis Studio torqueatur: diu enim legum volumina pervolvere non Theologorum, sed iurisprudentiam profitentium proprium est.

De Theologia Scholastica. Caput primum á n. 94. ad 96.

Scholastica Theologia omnes Theologicas cognitiones ad unum corpus collectas eo tradit ordine, qui ad disciplinas addiscendas est aptissimus, in hoc que Geometrarum methodum imitatur. Contentionem quorumdam Theologorum adscriptitiorum invalidis rationibus fultam vitat, adeoque ex positiva Theologia fundamenta sumens, mutuatur ex Dialectica peritiam illa tractandi arma, nec historiam, humaniores litteras, alia que adiumenta deserit. Haec ita se habere facile cognoscit, quicumque pervolvere voluerit, Maldonatum, Canum, Bertium, aliosque quam plurimos, qui multum profecisse fatentur ex Sanctis Doctoribus Thoma, et Bonaventura Scholasticae Theologiae Proceribus

Caput secundum á n. 97. ad 99.

In Scholasticorum auctoritate aestimanda duplex error declinandus est: primus eorum, qui tantum illis tribuunt, ut vel aliquorum consensus sufficiat ad conciliandam cuilibet opinioni probabilitatem ad tuté agendum; alter eorum, qui ut inutilem et perniciosam Theologiam Scholasticam insectantur;

quare illud seligendum medium, quod veritate nixum, ipsam tuetur, deposita dissentionis amaritudine, et fraternae charitatis suavitate servata, styloque non rudi, et impolito, sed exculto et gravi, quamtumcumque patiatur rerum conditio. Periculossisimum quidem est in re ad fidem, et mores pertinente sententiae unanimi cuiusque aetatis Scholasticorum refragari: quia post Veteres illos, Sanctosque Doctores per quos ad posteros transmissa est Apostolica doctrina soli fere Scholastici fidei dogmata, morumque doctrinam tractaverunt. Ex quo ergo Scholasticorum auctoritas in eo sita est, quod veterum doctrinam ad nos transmisserint, facile patet nobis licere ab unanimi etiam eorum sententia recedere, ubi haec nulla veteri traditione muniatur.

Caput tertium á n. 100. *ad* 102.

Non una est omnium mens circa censuram, qua suggilandi sunt ab unanimi Scholasticorum sententia recedentes: illud tamen pro certo habendum rem periculi plenam esse illos desserere cum vetus traditio illorum consensum favet. Quatuor libri Sententiarum Magistri Petri Lombardi licet abstrutiores, et obscuriores sint, cuilibet praesertim novitio, digni sunt legi, quadam tamen cautione adhibita, quia in illis periculosae quidem reperiuntur, et novae dicendi formultae á Theologis tunc temporis, Summo que Pontifice Alexandro 3. notatae. Guillelmus Estius multum adiuvat, illustratque ad Magistri lectionem. Quarundam facultatum doctrinale iudicium eo maioris momenti est, quo maioris ponderis sunt rationes iudicii lati á viris sapientia, eruditione que summa commendatis.

De Ratione naturali. Caput primum á n. 103. *ad* 104.

Quamvis Christianus Theologus gloriari non debeat in Sapientiae humanae praestantia; sed in simplicitate cordis, et Crucis Christi; ad tuendam tamen fidei doctrinam adversus naturalistas, refellendos que illorum errores propriis armis, eget rationis rectae subsidio. Ne autem haec alienas occupet partes, nec temére, ubi locum habere debet, extrudatur, eius fines instituendi sunt, in fidei, et morum doctrina, iuxta triplex rerum genus, quae in Theologia traduntur, quarum aliae sunt, qua sola naturali ratione perspiciuntur; aliae quas fides docet, et ratio confirmat; aliae denique, quae omnem rationis vim exuperant.

Caput secundum á n. 105. ad 107.

In quaestionibus ad primum genus pertinentibus, ut sunt quae de Dei existentia, providentia, et attributis agunt, necessarius est rationis usus, quo remoto, ipsa religionis fundamenta corruerent, nec illius veritas adversus infideles demonstrari posset. Ne autem in errores gravissimos incidat Theologus ea cautio adhibenda, ne nimium rationi tribuat, quia quae de his per rationem innotescunt, ideas obscuras, confusas, et inadaequatas suppeditant. In secundi generis veritatibus recté aget Theologus, qui dictata rationis adiungat ad Scripturae, et Traditionis testimonia, ut cum pertractat de inferorum suppliciis, superorumque praemiis, aliisque huiusmodi: non multum, tamen temporis in veterum philosophorum libris pervolvendis insumat. Frustra, in tertio genere ad controversias dogmaticas pertinente, demonstrare niteretur hoc aut illud esse oportere: namque postquam vi criticae legitima testimonia secrevit ab spuriis, aperte docere debet illud revera ita esse á Christo Apostolis traditum, Ecclesiae que concreditum: Et cum certo constat rem aliquam esse revelatam, ratio etiam invita divinae auctoritati subiici debet, negligere, insimulque repudiare, quidquid ipsi videatur resolvi non posse.

Caput tertium á n. 108. ad 109.

Rationis naturalis limites in morum Theología, varia huius praeceptorum genera sequuntur: namque si homo spectetur quatenus pertinet ad totius generis humani societatem, vel ad quandam rempublicam, praecepta quae illum regunt derivanda sunt ex Ethicae, iurisque naturalis fontibus per usum rationis excultae, luminibusque revelationis adiutae, ut promptius, facilius, brevi tempore, et sine periculo erroris sua officia cognoscat. Quae autem praecipiuntur homini, ut Christi asseclae, et membro Ecclesiae, repetenda sunt ex locis ex quibus religionis Christianae doctrina eruitur: non nulla tamen in his á recta ratione ducuntur ad omnes conditiones, et ad singulas actiones dirigendas, ut accidit in quatuor virtutibus Cardinalibus. In Theologicis vero virtutibus, et in illis rebus, quae ad sacramentorum administrationem, cultum, et observantiam festorum &c. pertinent, derivanda sunt non ex philosophorum placitis, sed ex antiquitate ecclesiastica, secernendo quae sunt stricti iuris ab his quae consilii tantum vim habent.

Caput quartum á n. 110. *ad* 111.

Quamvis argumenta ex recta ratione deprompta Theologo inserviant, quia lumen fidei cum naturae lumine non pugnat: cavere tamen debet Theologus á quaestionibus illis mere philosophicis, et futilibus, quae cum temporis iactura veritatis viam praecludunt absque necessitate. Nulli sectae addictus, quinque canonibus circumscribuntur á Theologo quaecumque ad rationis provintiam spectant.

De historia, et aliis adiumentis Caput primum á n. 112. *ad* 114.

Non ad inanem futilemque iactantiam historia est ediscenda, sed ad Scripturarum dilucidationem, ad religionis veritatem confirmandam, ad cognoscendos informandosque hominum mores; et instaurandam tuendamque Ecclesiasticam disciplinam. Ecclesiastica historia, quae pene fuerat emortua saeculo 8, reviviscereque coepit saeculo 15, exculta fuit saeculis proximis á pluribus viris praestantissimis. Quamvis humana historia absolute spectata errori, et falsitati sit obnoxia, multa tamen sunt in illa tam firma, et certa, quae si velint ad dubium revocari, fides humana de medio tollatur necesse sit: qua sublata, nec ulla erit religio, nec ulla subsistet humana societas.

Caput secundum á n. 115. *ad* 117.

Quae regulae habendae sint in lectione historiarum, sive res quae narrantur, sive Scriptores, qui illas narrant consideremus, breviter constituitur. Historia quidem certam veritatem generans debet esse multiplex, concors, enarratis contemporanea, et monumentis consentiens.

Caput tertium á n. 118. *ad* 123.

Trium partium Ecclesiasticae historiae officia brevi calamo tanguntur: Cumque perdifficile sit illas deprehendere absque laudabilis criticae studio; absque humaniorum subsidio; absque linguarum, latinae praecipue, notitia: Theologus his adiumentis carere non potest, nihil que proficiet in veritatibus dogmaticis, disciplinaribus, et his quae ad externam politiam, regimenque Ecclesiae pertinent, nisi maturé assueverit omnium discrimen habere, virtutesque ac vitia Scriptorum dignoscere. Ne vero fraudetur illius dulcedinis sensu, qui ex discendo capitur, omnia temporum intervala, quae poterit, ad legendum discendum que conferet, ut sic absque pravo languore queat propriae, et fratrum suorum saluti consulere.

DE ECCLESIA IN CONCILIIS CONGREGATA.

1. Quam necessarii sint coetus Episcoporum in uno loco convenientium, quando de rebus dubiis, et magni momenti ambigitur, ex Actis Apostolorum discimus, ubi post Christi Domini Ascentionem tria reperimus ab Apostolis celebrata Concilia. Sic Cap. 1. electus fuit S. Mathias in locum Iudae proditoris, Petro Apostolorum principe proponente faciendam esse electionem: Cap. 6. describitur primorum Diaconorum electio, et Ordinatio: Et Cap. 15. habemus, quod orta quaestione de Circumcisionis obligatione inter fideles, et graecos ad fidem conversos, rebusque antea diligenter expensis, facta fuit legis illius abrogatio per haec verba, *Visum est Spiritui-Sancto et nobis.*

2. Est autem Concilium, Praelatorum conventus, maximé Episcoporum, ut ex communi sensu ea diiudicent, quae ad fidem, mores, et disciplinam pertinent. Ut haec congregatio legitima sit, et provideat in rebus ad religionem pertinentibus, necesse est ut fiat eius celebratio iuxta Sacros Ecclesiae Canones, nec violentur leges regnorum Civiles, quibus eius tranquilitas externa conservatur. Potestas Ecclesiastica cum Civili non pugnat, sed potius se sé mutuo fovent; et quemadmodum Saecularis Maiestas regimini Ecclesiastico subiicitur in iis, quae ad Religionem pertinent; ita potestas Ecclesiastica Maiestati Civili subiecta est in Politica: Sic potestas Civilis terrore gladii cohibet nefarios, atque scelestos homines ne religionem dilacerent: Sic potestas Ecclesiastica veneratione Religionis in obsequium legum Civilium continet populos. Mens igitur Ecclasiae semper fuit, ut legitima Principum iura nusquam infringantur, et praecipue in his, quibus Sacra politia cum temporali regimine connectitur.

3. Conciliorum divisio bimembris est, namque aut sunt *generalia*, sive *Oecumenica*, quae convocatis ex universo Catholico Episcopis celebrantur, atque adeo universam representant Ecclesiam; aut sunt *particularia*, quatenus Episcopi alicuius partis Ecclesiae convocantur. Haec in triplici sunt differentia, quia si unius regni, aut nationis Episcopi convocantur á suo Patriarcha vel Primate, appellantur *nationalia*:

Si Praesules unius Provinciae á suo Archiaepiscopo, *provincialia*: Si Praesbyteri unius Dioecesis á suo Episcopo, *diocaesana* vocantur.

4. Aureis tribus primis Ecclesiae Saeculis nulla fuerunt habita concilia generalia ad damnandas haereses in illis exortas, sicque solo Ecclesiae consensu fuerunt extinctae. Haec consensio Ecclesiae, quae instar Concilii fuit, hac ratione perficiebatur: Quae adversus haereses decreta fuerant á paucis Episcopis, per litteras communionis aliis Ecclesiis communicabantur, et ex hac communicatione oriebatur conspiratio in idem fidei vinculum, et quod recepta sint in auctoritatem universalis Ecclesiae. Nec locorum intervala obstabant, ut Episcopi velut uno Spiritu animati ad condemnationem nascentis cuiusque haeresis conspirarent. Cum Pelagiani de hoc quaererentur apud August. Lib. 4. ad Bonifacium, his respondet S. Doctor: » Congregatione Concilii opus non fuisse, » ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla haeresis ali» quando sine ulla congregatione damnata sit: Cum potius » rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas ta» lis extiterit."

5. Ante Constantini Imperatoris tempora prohibitum fuit per Imperatores convocare Episcopos in unum Coetum: At remisso persecutionum furore sub ipso Constantino magno et sub aliis imperatoribus mos in Ecclesia obtinuit convocandi Concilia Provincialia, Nationalia, et Oeucumenica. Inter Concilia Nationalia celebriora fuere Cartaginensia, et Toletana. A Christiani nominis ortu novendecim communiter generalia concilia numerantur celebrata in Ecclesia Catholica: quorum octo priora in Orientali Ecclesia, et undecim reliqua in Occidentali habita sunt. Ordinem, locum, tempus, et causam breviter exhibet Ludovicus Danes pag. 40. tom. 1. intitutionum doctrinae Christianae. Seriem Saeculorum quibus habitae fuere, en paucis. (Videsis Tab. 12. Chronol. Graves tom. 5. p. 118.)

6. Saeculo 4. Nicaenum primum, et primum Constantinopolitanum. Saeculo 5. Ephesinum, et Chalcedonense. Saeculo 6. Constantinopolitanum secundum. Saeculo 7. Constantinopolitanum tertium. Saeculo 8. Nicaenum secundum. Saeculo 9. Constantinopolitanum quartum. Saeculo 10. Lateranenses primum, secundum, et tertium. Saeculo 11. Lateranense quartum, et Lugdunenses primum et secundum. Saeculo 14. Viennense. Saeculo 15. Constantiense, et Florenti-

num, Denique Saeculo 16. Tridentinum.

7. Penes quem sit ius concilia generalia convocandi, praesidendi, sententias rogandi cum prerogativa suffragii, et quae sunt decreta, confirmandi, paucis complectamur. Ad primum quod attinet, in comperto est Octo priora Concilia, quae in Oriente fuerunt celebrata, ab Imperatoribus Christianis fuisse convocata, ut ipsius acta, et omnes historici Testantur. Cum vero Viri docti, et inter alios Clarissimus Thomasinus nos admoneant, non tantum quid, sed quo iure quidque factum fuerit, expendi oportere, paulisper immoremur in hoc iure perquirendo.

8. Sicut omnia iura Imperantium desumuntur ex fine unico Societatis, eius nempe conservatione: ita iura regiminis Sacerdotalis desumenda sunt ex eius fine, conservatione scilicet religionis in Ecclesia: Et quemadmodum iure suo utitur Maiestas imperans dum sumit media ad tuendam Societatis Civilis tranquilitatem: Similiter Sacerdos Summus, qui primam Sedem tenet, in qua Sacerdotii unitas concentratur, lexitimo suo utitur iure sumens media, quae ad pacem religiosam Ecclesiae tuendam spectant. Cum ergo haereses, atque Schismata non minus labefactent politicae societatis tranquilitatem, quam pacem et unitatem Ecclesiae: luce meridiana clarius est Conciliorum convocationem, quibus his malis medetur, et ad Principes politicos, et ad Summum Pontificem sub diverso respectu pertinere. Ad Principes quidem Civilis Societatis, propter conservationem tranquilitatis externae, et quia Episcopi tamquam illorum subditi, absque eorumdem venia Ecclesias suas, et regna, et provincias deserere non possunt.

9. Praecipua tamen ratione ad Romanum Pontificem primario et iure proprio competit: namque cum eius officium primarium sit conservatio status et unitatis Ecclesiae, et illi incumbat scire quando et quomodo intersit Ecclesiae Conciliorum indictio, ius primarium et principale convocandi generale Concilium ad fidei, morum, et disciplinae difficiles controversias dirimendas ad Romanum Pontificem pertinet, qui ratione Primatus ius habet ad Episcopos cogendos. Ipse Constantinus hoc agnovit, et fassus est, ut patet ex eius vita apud Eusebium l. 1. c. 24: ibi namque imperatorem Episcopos in convivio sic alloquentem inducit: *Vos quidem in iis, quae intra Ecclesiam, ego vero in iis quae extra geruntur, Episcopus á Deo sum constitutus.* Episcopatus ergo laicalis

quem sibi arrogavit Constantinus in Concilio Niceno 1. fuit cura externa Ecclesiae tunc necessaria, quam suscepit ad audaciam et contumaciam Arianorum haereticorum imperiali potestate comprimendam.

10. Saeculis igitur, quibus celebrata fuerunt Octo priora Concilia generalia vigebat adhuc lex civilis, qua vetitum erat ne fierent conventus hominum cuiuscumque conditionis sine Imperatorum auctoritate: quid ergo mirum si ex aeconomia tunc necessaria, et annuente Pontifice Romano Convocatio facta fuerit ab Imperatoribus. Sic S. Leo Magnus auctor fuit Theodosio post Ephesinum Latrocinium anni 449, ut non Ephesi sed intra Italiam haberetur Concilium ad resecanda scandala Conciliabuli Ephesini, ut patet ex 12. Epistola S. Leonis, ubi sic inquit: „ Si pietas vestra suggestioni, ac suplicationi nostrae dignetur annuere, ut intra Italiam habere iubeatis Episcopale Concilium, cito auxiliante Deo poterunt omnia Scandala, quae in turbationem totius Ecclesiae sunt commota, resecari." Cum vero eo ipso anno mortem obierit Theodosius, per eius succesores Valentinianum, et Marcianum facta fuit Synodus 4. generalis in civitate Chalcedonensi anno 451.

11. Quamvis ergo Principibus Saecularibus sint aliquae partes in Conciliis convocandis, fatendum est ingenue Constantinum et eius succesores qui octo priora Concilia indixerunt excesisse modum, seque inmiscuisse in rebus ad se non pertinentibus. A Saeculo vero 9. post separationem imperii in Orientale et occidentale, hocque diviso in plura regna, negotium multis difficultatibus implicatum erat obtinere omnium Principum concursum ad convocationem: sicque abdicato tali quali eorum iure, solis Romanis Pontificibus reservata est ad Concilia convocatio, qui ad servandam concordiam Sacerdotii, et Imperii, et pacem Christianae societatis in Bullis indictionum et resumptionis earum indicant de suo consilio certiores fecisse Principes Christianos, ut suis votis faveant, atque asistant.

12. In Chalcedonensis Concilii actione 1. Lucensius Apostolicae Sedis Legatus eo nomine Discorum condemnat: *Quia cum personam iudicandi non haberet, praesumpsit, et Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, QUOD NUMQUAM FACTUM EST, nec facere licet*. Polycrates Ephesinus Episcopus ad Sanctum Victorem Pontificem scribens aperte fitetur, quod eius mandatis obtemperans Episcopos convocaverat: Sic

enim legimus apud Eusebium Lib. 4. historiae cap. 24: *Possem Episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, QUOS PETIISTIS, UT CONVOCAREM, sicut et feci.* Haec Polycratis verba ad Victorem, qui ex hac vita migravit anno 201, tanto maiori habenda sunt in praetio, quanto ex historia compertum est quod inter Victorem et Polycratem aliosque Asiae Episcopos gravis fervuit controversia de die Paschatis celebrando.

13. Fixum itaque sit ius Ordinarium convocandi ad Concilia esse proprium et peculiare Summi Pontificis, ratione etiam id demonstrante: Cum enim Ecclesia sit societas á Deo recte instituta, et in omni societate bene ordinata illius sit Comitia indicere, qui in ea primum tenet locum: absdubio ius Convocandi Episcopos ad Concilia ad illum iure ordinario pertinet, qui Primatum nedum honoris, sed iurisdictionis exercet ex ipsa Christi Domini Ecclesiae institutione, sicque ad Summum Pontificem qui est primus inter eos Praesules á quibus celebrandum est Concilium. Sunt Casus non nulli á Theologis et Canonistis designati in quibus universale Concilium absque Summo Pontifice congregari potest iure extraordinario. In illis autem casibus extraordinariis consulendum Ecclesiae foret per Cardinales, Primates, Episcopos, et per ipsos Saeculares Principes, sicut optime consultum fuit Saeculo 15. ocasione Occidentalis Schismatis in convocatione, et celebratione Concilii Pisani. In Schismate, quando duo vel plures de Pontificia dignitate contendunt, et neuter eorum est in posessione; vel cum alter ex contendentibus est quidem in posessione, et renuit Concilium dirimere, ad litem hanc dirimendam; in his angustiis ut Ecclesiae laboranti succurratur, ab alio quam á Romano Pontifice convocandam esse Synodum Communis sententia est. Idem dicendum si Pontifex in manifestam haeresim caderet, vel foret detentus apud infideles, vel mente captus redderetur, et urgeret Concilii convocandi necessitas.

14. Satis multa de iure convocandi Concilia dicta sunt: Videamus nunc ad quem pertineat ius in Conciliis praesidendi. Aliud est enim praeesse in Conciliis tamquam caput in membris; aliud praeeminentem materialem locum occupare, ut omnia externa fiant ordine, vitentur etiam turbae, nemini que vis inferatur. Hoc modo praesidium Conciliorum exercetur ab Imperatoribus politicis: illo autem Summi Pontifices vel per se, vel per suos Legatos primum obtinent locum ratione Prima-

tus Hierarchici dirigendo, et proponendo, primumque gradum occupando inter Praesules Concilii etiam in subscriptione. Utrumque praesidium habetur in relatione Synodi Chalcedonensis ad Sanctum Leonem per haec verba: „ Tu quidem *sicut mem-* „ *bris caput praeeras*, in his qui tuum tenebant ordinem, „ benevolentiam praeferens; Imperatores vero fideles *ad ordi-* „ *nandum* decentissime praesidebant, sicut Zorobabel et Iesus, „ Ecclesiae, tamquam Ierusalem, aedificationem, circa dog- „ mata renovare annitentes" Ius igitur ordinarium praesidendi in Conciliis generalibus cum potestate praescribendi methodum, qua res pertractari debeant, soli Romano Pontifici convenit. Non nulli autem sunt casus in quibus sine Pontifice Summo concilia celebrari possunt; et sunt, quos indigitavimus dum verba fecimus de Convocatione ad Sacra Comitia, quique extraordinarii sunt.

15. Secunda Synodus generalis, Constantinopolitana quidem 1. ex Orientis tantum modo Episcopis coacta Oecumenicae titulum non meruit nisi postquam Romani Pontificis, et totius Ecclesiae occidentis consensus accesit. Tempore siquidem, quo habebatur Nectario praeside, aliam Damasus Romae coegerat, per quam confirmavit Constantinopolitanam: sicque ex his duabus fit una moraliter Synodus.

16. Praeter ius ordinarium convocandi et praesidendi Conciliis generalibus, ratione Primatus in tota Ecclesia, competit etiam Summo Pontifici ius relationis cum praerogativa suffragii. Illustre huius iuris exemplum extat in Concilio Sardicensi anni 347, quod continuatio quaedam est, et apendix Nicaeni primi. Osius in illo sub Legati, et Praesidiis nomine pene ubique refert de iis, quae in Canone erant constituenda. Nihil de auctoritate Osii detrahit, quod aliqui Episcopi, ut Gaudensius, et Olympius aliquot Canones proposuerint, quia, Osius annuendo quod suggerabant, sententia sua firmabat. Sic enim in actis legitur: „ *Osius dixit suggerente fratre nostro Olympio: etiam hoc placuit &c.* Summus Pontifex cum Synodo in id incumbit, ut haereticae novitates convellantur diligenti adhibita cura. Pontificis ergo est non modo censere, et sententiam suam dicere prius, sed etiam referre in Synodo, et definire: Synodi vero diligentius expendere an Pontificis definitio Sacris Scripturis, et traditioni sit consentanea: „ Sic enim (ut ait D. Petrus de Marca) utri- „ usque Summae auctoritatis consortio, ac velut vinculo om- „ nes tenentur: adeo ut definitio Romani Pontificis, et Sy-

» nodi declaratio, ac consensus vim habeat irretractabilis iu-
» dicii.«

17. Ex Theodoreto Lib. 2. cap. 21. et eius Epistola ad Illyricos habemus, quod concilium Romanum infirmat Ariminense Concilium, *quod Romanus Pontifex ei non interfuerit: Si quidem numerus Episcoporum, qui erant Arimini in unum congregati, preiudicii vim habere non debet, praetertim cum formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia prae ceteris omnibus expectanda crat, neque aliis etiam consentientibus.* Nullibi Sedis Apostolicae auctoritas magis enituit, eiusque sententiae praerogativa, quam in Concilio Chalcedonensi. Ante coactam Synodum damnavit S. Leo Eutichis haeresim in Epistola ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum: Misit Legatos Constantinopoli, qui suam Epistolam darent subscribendam Anatholio urbis regiae Episcopo: Ad satisfactionem adegit Episcopos, qui Eutichi faverant, eiusque Epistola vim sententiae et canonicae difinitionis obtinuit: suam tamen auctoritatem ea moderatione temperavit, ut si qui Episcopi adquiescere nollent iis quae definierat, Synodus cogeretur.

18. Constituta Synodo, et datis litteris ad Synodum: recitata, approbata que Epistola ad Flavianum, acusatus fuit Dioscorus, quod eam Ephesi supprimere ausus fuerit: formula fidei praescripta est, eaque verbis Leonis expressa, quod non mediocriter commendat Pontificis auctoritatem: Denique, quae Pontifex definierat, Synodus declaravit. Hinc Concilium in Synodica ad Leonem Epistola, » profitetur *eum fuisse in* » *expositione fidei interpretem*, se que ipsos *duce*, et *auctore Pon-* » *tifice* veritatem Ecclesiae filiis deprompsisse, se uno Spiritu, » una conspiratione, atque concordia *confessionem fidei de-* » *clarasse* « His verbis exprimitur satis, quae fuerint partes Synodi, et Pontificis.

19. Non est quod fusius disseramus de alia praerogativa Pontifiis ex Primatu etiam derivata, quod ad illum pertineat confirmatio rerum in Concilio gestarum. Per confirmationem quidem non intelligimus robur et auctoritatem conciliis impertitam, quia Synodus Oecumenica in Spiritu Sancto legitime congregata, universalemque repraesentans Ecclesiam, suam auctoritatem á Christo immediate habet, et quia Episcopi congregati non sunt meri conciliarii, sed veri Iudices. Quoniam vero sunt necessariae quaedam conditiones ad generalem Synodum, et in Pontifice ratione Primatus resideat ius ad declarandum servatas esse conditiones ad generale con-

cilium requisitas: sequitur quod confirmatio Summi Pontificis nihil aliud significet, quam ratum habere Concilium et declarare illud esse veré Oeucumenicum; omnesque fideles obligatos esse ad eius observanda decreta in his quae ad fidem, mores, disciplinam que universalem spectant. Sita ergo est in eo confirmatio, quod ea, quae Pontifice auctore, et praesente per se vel per suos legatos erant ante munita, consensu que Synodi declarata, vim legum Ecclesiasticarum obtineant.

20. Quamvis enim Scripturae Sacrae suam internam auctoritatem habeant immediate ab ipso Deo, tamen ut á fidelibus recipiantur necessaria est Ecclesiae declaratio, iuxta illud Augustini: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae commoveret auctoritas*: Sic, ut Oeucumenici Concilii decreta vim fideles ligandi habeant, opus est, quod Pontifex Summus declaret Concilium veré Oeucumenicum esse, iubeat, et promoveat eius executionem. *Nihil refert*, ait D. Petrus de Marca, *ad Canonum custodiam, an Summus Pontifex sit Superior Concilio, aut é contra*. Carolus Denina in aureis duobus libelis de Studio Theologiae et norma fidei, optandum est, aiebat, ut haec controversia non modo moderaté, minime que inimicé, agitetur, sed etiam, ut si fieri possit, tollatur prorsus é medio, quum et perturbatis rebus, Concilii scilicet Pisani tempore, exorta sit.

21. Requisita ad generale Concilium sunt lexitima Praesulum Ecclesiae convocatio facta ab iis ad quos iure spectat ratione primatus Hierarchici: Quod praesit per se, vel per suos Legatos, cui ius est Relationis, seu primae sententiae, quae definitionis vim nancissitur, accedente Episcoporum declaratione, namque istius est referre ad Patres de quo iudicandum sit, et methodum insuper tractandi, praescribere: Denique, quod Praesules veluti Iudices divina ordinatione constituti adhibeant omnia media humana, diligentiae, collationis, disputationis, et divini auxilii invocationis, ut re maturé discussa, libertime, et ex intimi animi sensu sententiam dicant. Si haec adsint, dubitandum non est de promissa Spiritus Sancti asistentia. Ne vero in quaestionem vocetur, num Ecclesiae Iudices illam curam adhibuerint, per Summi Pontificis confirmationem hoc sciunt fideles, tamquam per publicam auctoritatem ad hoc constitutam.

22. Firmitas Conciliorum nullatenus venire potest á Principibus Saecularibus, ut ipsa suadet rerom natura, de quibus in illis agitur, uti sunt fidei et morum decreta, et dis-

ciplinae capita. Ex quo vero Concilium Constantinopolitanum primum in sua ad Theodosium Imperatorem epistola dicat: *Rogamus igitur Clementiam tuam, ut per litteras pietatis tuae ratum habeatur Concilii decretum*; solum colligitur, id Patres Synodi scripsisse ad Theodosium non ut ad conditorem, et auctorem Canonum et Decretorum; sed ut ad executorem, et defensorem eorum; nec ut illis tribueret firmitatem Ecclesiasticam et principalem; sed civilem, adiutricem, et ministerialem, qua frangeretur superbia et rebellis pertinacia haereticorum, ex juncta vi Sacerdotalis, et Imperialis dignitatis.

23. Causae generalia concilia celebrandi sex numerari solent; 1. est periculum imminens, quod haeresis enata suum virus diffundat in plures, insigniores que Ecclesias, nisi auctoritate universalis Ecclesiae supprimatur: namque compertum est experientia haereses quasdam post Concilium generale succubuisse, quae tamen serpebant in dies non obstante auctoritate Pontificum et Conciliorum particularium illas supprimere annitentium. *Altera* est Schisma Ecclesiasticum in quo plures de Pontificatu dimicant, ad quod radicitus evellendum potentius remedium huc usque inveniri haud potuit, quam concilii generalis celebratio. 3. est ad hostis Ecclesiae, communisque humiliationem, et depulsionem, qua ratione, communi auxilio itum fuit obviam Sarracenis bellum in Christianos moventibus. 4. Si, quod Deus nolit, Pontifex foret de haeresi suspectus, si in illo esset tirannis incorregibilis, aut publice scandalum daret: tunc enim, ad illum in officio continendum, corrigendum, et tandem deponendum, si correctio non proficeret, Concilio absdubio opus foret: Canone quidem 3. Synodi 8. habetur, quod: *debent generalia Concilia cognoscere controversias circa Romanum Pontificem exortas.* 5. Ad Pontificis electionem, si Cardinales, aut non possent, aut nollent eligere Pontificem, aut in ipso electionis negotio in dubium omnia verterentur Canonibus spraetis. 6. Demum, ut Ecclesiae suus honos, sua que maiestas restituatur per reformationem abusus generalis, et disciplinae notabiliter corruptae, ut patet ex Sessione 39. concilii Constantiensis.

24. Illius Synodi Patres haec, ibi, declarant; „ Frequens „ Conciliorum generalium celebratio, agri Dominici praecipua cultura est, quae vepres, Spinas, et tribulos, haeresum, errorum, et Schismatum extirpat, excessus corrigit, „ deformata reformat, et Vineam Domini ad frugem uberti-

„ mam fertilitatis adducit; illorum vero neglectus praemissa „ disseminat, atque fovet. Haec praeteritorum temporum re- „ cordatio, et praesentium consideratio ante oculos ponunt." Consonat Canon 3. Concilii 4. Toletani: *Nulla pene res*, inquit, *mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus, ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt.* Huc tendunt suspiria Virorum Sapientissimorum, ac veré piorum: id Canones praecipiunt, id haberi frequentius optat Ecclesia.

25. Quamquam Nationales, Provinciales, et Episcopales conventus constituti fuerint ad sanciendam disciplinam, interdum tamen agebantur non nulla ad fidem pertinentia, quemadmodum videre est in Synodo 2. Arausicana. In illa multa praeclare definita sunt de gratia, et transierunt in fidei regulam post acceptationem aliarum Ecclesiarum et universalis Ecclesiae approbationem. Sunt etiam plurima in his Conciliis quae ad morum regulam, et vivendi praecepta pertinent, quae nulla umquam consuetudine nec temporis diuturnitate deleri possunt, nec obsolescere, quia non tam sunt humanae leges quam iuris naturalis et divini interpretationes, explicationes, confirmationesque. Temporis compendium in legenda illa benemulta egregie constituta in Hispanicis, Arelatensibus, aliis que Conciliis faciet studium illorum, quae Sanctus Carolus Borromeus sancivit in quinque Synodis Provincialibus Mediolanensibus. Quidquid enim in Christiana Ethica necessarium est, quidquid in Ecclesiastica disciplina consentaneum praesentis aetatis moribus, quidquid in Sacris Canonibus opportunum reperiri, potuit, id totum in illis constitutionibus expressum est.

26. Vir iste egregius, qui doctrinae sanctitatem cum singulari prudentia coniunxerat nihil iussit, nihil monuit in suis decretis, quod non esset sanctissime constitutum; ideoque auctoritate Sedis Apostolicae S. Pii V. firmari atque comprobari meruit. Constitutiones illae provinciae Mediolanensis communes esse reliquis vel ex eo solo patet, quod grato animo illas usurpant praestantissimi aliarum provinciarum Scriptores Sapientissimi ut Habertus, Tournelius, Natalis Alexander, Van-Espenius, et alii.

27. Si totius antiquitatis memoriam, universamque historiam Ecclesiasticam repetamus, inveniemus ruinam Montani, Aerii, Arii, Eutichetis aliorumque haereticorum ex eo profectam, quod noluerunt obtemperare Episcoporum suorum iussibus, eorum animadversionibus cedere, et acquiescere in illo-

rum iudicio. Si omnes Christiani iubentur suis Pastoribus obtemperare, potiori iure clerici, qui cum Sacris initiarentur, Episcopis suis professi sunt obedientiam et reverentiam. Episcopi enim, in quibus est origo et fons Ecclesiasticorum Sacrorumque officiorum, sui populi mores cognitos habent: ex quo fit, ut omnes Theologi et Iurisperiti ita unanimiter urgeant vim legum et praeceptorum Episcopalium, ut, ubi de disciplina morum agitur, dicant nulla posse appellatione suspendi, et prorogari effectum correctionis et sententiae. Synodus Tridentina Sess. 22. cap. 1. de reformatione ad morum disciplinam constituendam, et revellendos abusus mandavit, *ut si quae summorum Pontificum, aut Conciliorum Decreta in desuetudinem abiisse comperermt Ordinarii, in usum revocari, et ab omnibus custodiri studeant.*

28. Priusquam delebamur ad Conciliorum generalium auctoritatem stabiliendam, per maxime necessarium est quaedam scitu digna praemittere circa illa, quae Ecclesia observabit, quotiescumque sibi proposuit discussionem, ac decisionem dogmatis. Firmiter persuasa novas revelationes non fieri, et quod omne quod á Deo revelatum est in Scripturis, et Traditionibus divinis continetur, his duabus regulis innixa, inquirit quid ex illis constare possit ad rem de qua quaeritur iudicandam. Per mentem antiquioris Ecclesiae sensum fidelium communem, et unanimem Patrum consensum, explorare consuevit sensum Scripturae. Ad traditionem, quae vocatur *discussionis*, Patrum opera versat, antiquissima historiarum monumenta, et Decreta conciliorum antiquorum: Singulariter etiam perquirit per traditionem proscriptionis continuatam, et non interruptam Ecclesiarum consuetudinem, et observantiam conquisitis undique viris conspicuis et apprimé versatissimis in Scriptura Sacra, et Ecclesiae Catholicae Canonibus.

29. Quoties agitur de morum controversia, praeter Scripturam, et Traditionem, oculos vertit ad Ius naturale, Divinum et Ecclesiasticum. Quod his adversatur damnat velut corruptelam, transgressores ferit anathemate, et in illos severioribus paenis animatvertit. In rebus ad disciplinam, ritus, et ceremonias pertinentibus attendit ad sequentia. 1. Si eadem res, sub diversa ratione, ad disciplinam, et ad dogma pertineat, cavet ne utrumque confundatur: Sic dogmatis est, in cultu imaginum, quod eas liceat colere; disciplinae tamen proprium quod imagines vel pictae, vel sculptae ad cultum

publicum exponantur. 2. Ritus quosdam, quales sunt sacramentales, materiam et formam Sacramentorum Constituentes, ab ipso Christo determinatos, dogmatis instar servat, nihil que iuris in hos se arrogat. 3. Originem rituum examinat, et non facile illos immutat, si deriváutur ab Scriptura, Traditione, Ecclesia, vel legitima Praesulum auctoritate. 4. In consuetudinibus particularibus Ecclesiarum, quae sanctitate, gravitate, et prudentia donantur, iis se attemperat pro conservanda pace, et unitate cum Regnis, et Provinciis.

30. 5. Si per experientiam comperit, quod quaedam disciplinae capita non sunt amplius utilia; multo minus necessaria, ut accidit cum observatione legalium, trina immersione, laicorum communione sub utraque specie, et cum agapis, seu mensis communibus, et mutuis osculis post praeces, ea immutat. 6. Denique circuspicit omnes circunstancias rerum et temporum, locorum consuetudines, mores, et genium hominum, ut suam disciplinam attemperet.

31. Dogmata, definitiones, et censurae Synodorum non sunt eiusdem clasis: Quaedam enim veritates definiuntur ut *dogmata fidei Divinae*, sic est divinitas Iesu-Christi, et Spiritus Sancti, Realis praesentia Christi in Eucharistia &c: aliae *veritates*, non ut *Dogmata fidei*, sed ut *Conclusiones Theologiae* statuuntur, ut haec, Christus in Eucharistia est adorandus: *Aliae laudantur* ut *piae et salutares* consuetudines, v. g. usus sacrarum imaginum, publicae supplicationes, sacerdotales vestes, caeremoniae. *Nonnulla sunt*, quae, ut probabiliora, placent, exempli causa, Angelos simul cum mundo corporeo creatos esse: *Multa, singulari studio, indefinita* relinquuntur, talibusque involvuntur terminis, ut neutra pars Theologorum altercantium conqueri possit, ut factum esse constat in Tridentina Synodo, quemadmodum testatur Pallavecinus, in historia Concilii.

32. Atento animo secerni debet Conciliorum decissio ab iis, quae probationis loco afferuntur, namque accidere solet, ut non sint eiusdem ponderis rationes allegatae, namque misceri solent cum argumentis certissimis etiam probabilia et verosimilia. Decissio est quod proprié proponitur credendum, et definitur; non autem motivum seu probatio, nec ea quae obiter dicta sunt. In Concilio Nicaeno 2. actione 5. Tarasius Patriarcha peroravit Angelos pingi posse, et probationis loco ex philosophia opinionem minus firmam adoptavit, scilicet quod Angeli haberent corpora levia, aerea, vel ignea. Un-

de, licet occasione ex hoc sumpta obiter ab ipso Concilio pronuntiatum fuerit Angelos materia aeterea circundatos; haec non est Conciliaris definitio; nec illa Lateranensis 4. asserentis Angelos esse omnis materiae expertes propter eamdem rationem.

33. Textus etiam Scripturae, quos allegat Concilium, non illico credendum est illos sic, et non aliter intelligi debere; nisi hoc aperte dicatur. Aliter enim loquitur Trident. Sessione 14. cap. 1. et Canone 1. dum seligit illa verba Ioannis 20: *accipite Spiritum Sanctum &c.* quorum verissimum sensum declarat, et approbat: aliter confirmat Sess. 24. gratiam matrimonii verbis Apostoli ad Ephesios 5: cum ait Synodus, quod Paulus Apostolus *innuit* dicens: viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam. In eadem Sess. 14 cap. 1. de Institutione Sacramenti Extremae unctionis docet, hoc Sacramentum fuisse apud Marcum (cap. 6.) quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum Cap. 5. v. 14. Constanter amplecti debent mysteria quae docet generale Concilium, quia illa obscuritas aut ex materiae sublimitate, aut ex mentis nostrae imbecillitate proficissitur: modus vero explicandi, ea que defendendi mysteria non ita fixus est, ut nequeat ab ipsa Ecclesia deregi melior, et proponi.

34. Tam in capitibus, quam in Canonibus Synodus Tridentinae continetur quid credendum, quid damnandum sit, ut docet Veronius in sua fidei Catholicae Regula, et convincit ex Sessione 13. cap. 8. ubi, immediate post capita, et ante Canones dicitur: „Quod autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur, et refellantur errores, placuit Sanctae Synodo, hos Canones subiungere, ut omnes iam agnita Catholica doctrina, intelligant quoque, quae ab illis haereses caveri vitarique debeant;" Idem dictum Sess. 6. Tam in Tridentino, quam in aliis Conciliis misceri solent opportuné sententiae quaedam Theologicae; quae tamen non debent idcirco ut definitae iudicari. Sic Tridentina Synodus refert, *septem ordines in Ecclesia Latina receptos*: Ex hoc tamen malé colligeret quis, esse de fide, quod non sint nisi septem ordines, namque praecipui in hierarchico ordine sunt Episcopi ab Spiritu Sancto positi ad regendam Ecclesiam Dei, ut legitur Sess. 23. cap. 4. et Canone 6.

35. Clarissimus Canus (L. 5. Cap. 5. quaest. 4.) scité docet, sat non esse, ut Conciliorum iudicia firma esse credantur in Divino officio publicé á tota etiam Ecclesia cele-

brari. Neque enim historiae, quibus Martyrum et Confessorum gesta narrantur; et si á Conciliis approbatae sint, fidei Decreta sunt: Idem dicendum de Opusculis Doctorum Ecclesiasticorum, quae probata fuerunt in Synodo Gelasii Papae distinctione 15. cap. Sancta Romana: quidquid etiam in Juris Canonici voluminibus continetur, non statim tenemdum est fide catholica credendum, nisi toti Ecclesiae proponatur cum obligatione credendi certo, et firmo Decreto, et non ex opinione, quae verbo, *videtur*, exprimi solet.

36. Synodalia Decreta quae disciplinam Ecclesiae reformant, ab omnibus Orbis catholici nationibus excipi debent, et praecipue, si annuentibus Regum Principumque Oratoribus condita sint: quia hi ab initio reclamare debuissent, si quid ordinatum fuerit alienum á genio, moribus, vel privilegiis Patriae suae. In disciplinaribus conciliorum Decretis illud intuendum est maximé an Patribus absoluté probata sint, quae exponuntur; an habita ratione temporum, et circunstantiarum per tolerantiam exprimantur. Cuasas tolerantiae paucis verbis complectitur S. Gregorius (Lib. 12. Epist. 31.): » Sancta » Ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per man» suetudinem tollerat, quaedam per considerationem dissimu» lat; atque ita portat et dissimulat, ut saepe malum, quod » aversatur, portando, et dissimulando compescat." Quae autem per tollerantiam sunt instituta, censentur absogata causa cessante, ut docet Inocentius 3. Epistola 22. per haec verba: *Quod enim necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate debet utique cessare.* Sed accedamus iam ad Conciliorum generalium auctoritatem.

Quaest. 1. *An argumentum pro fide, et moribus á Conciliis generalibus legitimis desumptum, firmum certumque sit?*

37. Haec vox *Concilium* latinae, quae graece *Synodus*, hebraicé *Synedrion* redditur, significat Coetum Episcoporum in locum unum coeuntium ad definiendas difficiles controversias in Ecclesia circa fidem, et mores excitatas. Facta legitima convocatione, et absolutis omnibus praeliminaribus, in quibus praecipue Sancti Spiritus invocatio continetur, factis collationibus, rebusque diligenter pertractatis, expensisque rationibus pro utraque parte, postquam auscultatum fuerit Praesidis suffragium, in scripturamque redactum quidquid libertime fuerit constitutum: servatisque legibus confirmationis, et publicationis authenticae, fideles obstricti sunt ad ea observanda quae circa res fidei et morum definita sunt in Conciliis. Hanc igi-

tur conciliorum legitimorum auctoritatem, sic firmam certamque esse, ut per illam conclusiones Theologicae firmentur hac declaramus conclusione.

38. Firmum certumque argumentum praestat Theologo ad res fidei, et morum tuendas Conciliorum generalium legitimorum auctoritas.

39. Probatur haec conclusio. Ex infalibili auctoritate certum, firmumque duci argumentum luce meridiana clarius est: hac vero stante claritate caecutiret, qui non cognoscat infalibilem conciliorum auctoritatem in rebus fidei, et morum. Una siquidem auctoritas est in representante, et in repraesentato, ut recta sit repraesentatio: Cum ergo Ecclesiae, promissa sit infalibilis Spiritus Sancti asistentia in definiendis fidei et morum doctrinis; et haec Christi Sponsa, quae columna est, et firmamentum veritatis, ab ipsis suis exordiis docuerit ipsam in Episcopis legitime congregatis repraesentari, sic que semper acceperit Conciliorum generalium Decreta, ut si ab ipsa profecta essent, existimans, ut veré haereticos, quos ut tales habuerunt concilia: consequens est, Ecclesiam universam in Conciliis generalibus repraesentari; et quod horum auctoritas sit aeque infalibilis ac universalis Ecclesiae. Recte igitur docet Cardinalis Bellarminus, (L. 1. de Conciliis capitib. 15. et 18.) Concilium licet essentialiter constituatur ab Episcopis, nihil hominus universam Ecclesiam repraesentare, ac proinde habere universalis Ecclesiae consensum et auctoritatem. Sic etiam Martinus 5. ad calcem Concilii Constantiensis iussit, ut qui in haeresis suspicionem venerint, interrogentur, „? *An non credant Concilium generale universam Ec-* „ *clesiam repraesentare?* „

40. Probatur 2. Ab ipsa Apostolorum aetate ad haec usque tempora corpus vivum et animatum universalis Ecclesiae, cui Christus suam et Spiritus Sancti asistentiam promissit, id constanter observabit in Orbis Catholici partibus, ut ad stabiliendam fidem, haereses debellandas, reformandos mores, et disciplinam instituendam, vel primitivo restituendam nitori adhibertur remedium oportunum celebrationis Conciliorum, malisque proportionaretur medela: Ipsa etiam Ecclesia ut haereticos habuit eos, qui Conciliorum generalium definitionibus subscribere noluerunt. Si, ergo, Ecclesia dispersa, in re tanti momenti erravit ¿ ubi est illa promissio absoluta ipsi à Christo facta semper illi adfuturam? ¿ Nonne in Hierosolimitano Concilio, quod pro norma aliorum proposuit, Apo-

stolis adfuit, et hi Silenter Scripserunt Actor. 15. *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*? Semper enim fidelibus iussit Ecclesia, et docuit ut definitiones Conciliorum, haberent tamquam difinitiones ipsius Spiritus Sancti, sicque ex animo crederent, quae fuerant á Conciliis definitae: Ecclesia ergo coadunata in Conciliis infalibilis est in fidei et morum rebus iudicandis, et praestat firmum certumque Theologo argumentum.

41. Obj. 1. Ex illis verbis Actorum 15. minime colligitur Spiritum Sanctum Conciliis legitime congregatis adfuturum: illa namque verba nihil aliud inquiunt, quam quod Apostoli pie crediderint ipsis Divinum Spiritum adfuisse: Nec in tota Scriptura vestigium reperitur promissionis Conciliis factae de Spiritus Sancti asistentia: Hoc stante, argumentum ex Conciliis á Theologo desumptum, firmum certumque dici non potest.

42. R. Quod omnia loca in quibus facta est Ecclesiae promissio Spiritum veritatis ab illa nullo tempore recessurum, probant Conciliorum infalibilitatem; quia cum generale Concilium non sit nisi totius Ecclesiae adunatio facta in virtute, auctoritateque Spiritus-Sancti, sequitur quod Ecclesia ibi sit in repraesentatione, ubi est Concilium; ac per consequens auctoritatem Ecclesiae, quae infalibilis est iuxta Christi promissa, esse auctoritatem Conciliorum. Confidentia illa, qua Apostoli in consilio adunati dicunt Visum est Spiritui Sancto, et nobis aperte ostendit, Deum velle ut ad Oecumenicum Concilium deferantur quaestiones magnae, obscurae, et gravibus altercationum nebulis obvolutae, ut facta magna conquisitione, definiantur.

43. Obj. 2. Nullum est fundamentum, quo solide conciliis generalibus auctoritas firma certaque adscribatur, namque propter diversas opinantium sententias nescimus adhuc quaenam sint Concilia generalia: Nihil etiam certi habemus de potestate convocandi, praesidendi, et confirmandi, de libertate suffragiorum, et de his qui convocari debeant, et quibus sit suffragium decisivum: multo etiam minus de modo praesidendi legitimo: de his enim omnibus partim dissidia moventur ab Acatholicis, partim decertatur inter Catholicos.

44. R. Quod licet permittamus quod de illis omnibus disputetur partim ab Acatholicis, partim á Catholicis, semper firmum inconcussumque manebit Conciliorum legitimorum in sua convocatione, progresu atque exitu auctoritatem esse infalibilem; quia illi ipsi catholici, qui dubia quaedam movent, absque unitatis iactura, unanimi consensu tenent in-

fallibili vi gaudere generalia Concilia in Spiritu Sancto legitime congregata. Nullius ponderis sunt Acathalicorum dubia, quia illorum disputandi cachoetes, nihil preiudicat, nec preiudicare potest viae quam Paulus Apostolus aptissimam existimavit, scilicet quod controversia ad Concilium ferretur. Gentiles poterant haec aliaque dubia excitare: potuerunt iudaei Concilii definitioni opponere Scripturam dicentem, *Homo cuius caro praeputii*: sed utrique magna modestia conciliari definitioni acquievere. Catholici, hos imitantes, et pacificam Ecclesiarum unanimiter acceptantium exequtionem iussam prae oculis habentes, veneratione magna prosequuntur Concilia generalia ab universa Ecclesia recepta.

45. Obj. 3. Plura Concilia erarunt, veluti Ariminense, et Sardicense, de quo haec ait August.: *Concilium Sacerdicense, fuit Arianorum*: Ephesinum 2. Euthichbianorum errori subscripsit: Chalcedonense Nestoriani Ibae approbabit epistolam, quam damnavit Constantinopolitanum 2, sicut scripta Theodorethi, et Theodori Mopzuepteni: Constantinopolitanum 3. damnavit Honorium Papam: Concilia duo Constantinopolitana, alterum sub Leone Isauro, alterum sub Copronimo, errarunt circa cultum imaginum. ¿Quid praesidii habere potest Theologus in auctoritate erroribus obnoxia.

46. R. Nos hic sermonem instituere de Conciliis rite peractis, et ab Ecclesia universa pro generalibus habitis: loquimur etiam de Conciliis in rebus fidei et morum. Ariminense Concilium, in quo prius firmata fuit fides Nicaena, desinit postea in conciliabulum per fraudes, minasque quibus 400. Episcopi fuerunt circumventi. Ephesina Synodus 2. latrocinalis appellatur, eiusque acta statim abolita fuerunt á Leone Magno. In Concilio Chalcedonensi actitata quidem fuit causa Theodoreti, et Ibae Edesseni, sed non ad liquidum perducta, namque controversia de Tribus capitulis et Epistolae Ibae, ubi cum laude commemoratur Theodorus Mopzuептenus, exagitari coepit medio saeculo 6. et terminata in Concilio Constantinopolitano 2. quod est 5. generale. In conciliabulis sub Leone Isauro, et Constantino Copronimo celebratis Iconomachi Sanctarum imaginum cultum proscripserunt; sed cultum hunc confirmavit Nicaena 2. generalis Synodus 8.

47. Non est, quod immoremur in damnatione Honorii 3. á Sexta Synodo generali Constantinopolitana 3, quia sunt magni nominis Theologi, qui damnationem negant, et reponunt propter acta interpolata nomen Honorii apparere loco

Theodori: sunt, qui asserunt Concilium errasse in re facti humani, et non in re iuris: Opinantur alii Epistolas Honorii favere in sensu obvio haeresi Monothelitarum, licet Honorius cum illis non consentiret, sic que Concilium merito damnasse Honorium. Quacumque harum responsionum fit satis argumento ex Sexta Synodo deprompto. Verba Sancti Augustini non sunt de Sardicensi, genuina Synodo á Iulio Papa indicto, nam haec Nicaeni 1. appendix, accepit illius confessionem fidei, et S. Athanasii innocentiam declaravit: sed de formula quam Ariani concinnarunt Philoppopoli in vicinia Thraciae sub nomine Concilii Sardicensis, ut fucum facerent, cum hoc mentito nomine.

48. Obj. 4. SS. PP. ut Gregorius Nazianzenus, Augustinus et alii nihili habuerunt Concilia generalia: 1. in Epistola ad Procopium ait: nullius Concilii finem laetum et faustum vidi: alter vero Lib. 2. adversus Donatistas cap. 3. ait: ipsa plenaria Concilia posteribus emmendari: hoc autem non dicerent, nisi ipsis fuisset persuasum nullius roboris esse conciliorum auctoritatem: ergo.

49. R. Nazianzenum non absoluse loqui, sed respectu habito ad Cociliabula Seleusiae, Arimini, Tyria, Mediolani, et Sirmi in quibus omnia per vim á Constantio illatam agebantur, sicque infaustum habuere exitum. Nicaenum primum magnis laudibus extollit Oratione 2. et ipse pars maxima fuit Constantinopolitani 1. adversus Macedonium. Sanctus vero Augustinus loquitur non de emmendatione fidei; sed emmendatione in rebus facti disciplinaris, quia post illa verba, sic prosequitur, *dum experimento aperitur, quod clausum erat.* Veritates fidei non innotescunt experimento; sic que verba illius S. D. ad has referri non possunt.

50. Obj. 5. Nemo scit an iustae vel iniustae sint Episcoporum personae, quae adunantur in Conciliis: affectibus humanis donati, sui que muneris obliti, in transversum agi possunt: Quomodo ergo gratia Spiritus Sancti feret opem hominibus iniquis, et mundi dilectoribus?

51. R. Ad Christi providentiam pertinere auxilia conferre Episcopis in suo nomine adunatis in Concilio, ut id assequantur propter quod facta est congregatio: Promissiones Episcopis in persona Ecclesiae factae pendent á quibusdam legibus, ut quod Summi Pontifices, et Episcopi fortiter tueantur Ecclesiae causam, nec ab Scriptura, Traditione, Ecclesiasticis que monumentis recedant, praecibus ad Deum fussis,

ne illos abripi sinat ulla factione, illecebris mundanis, aut adigi vi, vel metu. Si ergo Pastores recta intentione, adhibitaque humana, qua par est diligentia veritatem quaesierint, illam adinvenient, nec deerit illis auxilium oportunum, quamtum ad gratias gratis datas, quae et illis, qui in peccato mortali sunt, conceduntur; quod si nullum obex adsit ad gratiam gratum facientem, hanc etiam largietur divinus Spiritus, licet illa non indigeant, nec ad veritatis agnitionem, nec ad illam docendam. Immobilitas Ecclesiae in Christi doctrina penitus absoluta est; sicque nusquam, opiniones verae fidei, et veris morum regulis contrarias, adoptavit. Quandocumque ergo ipsa Concilia, ut rite peracta suscipit, nulla dubitandi ratio est, rem sic esse, adeoque auctoritatem Conciliorum rité congregatorum usque ad excitum, esse infalibilem.

Quaest. 2. Qua gaudent auctoritate Concilia in declarandis factis dogmaticis?

52. Facta dogmatica sunt illa in quibus doctrina connectitur cum factis quibusdam singularibus. In his, quaeri solet an auctor alicuius operis haereticé senserit? ¿ An Sensus talis Libri, vel propositionis, in sensu ab auctore intento, quemque verba praeseferunt, sit catholicus, vel contra? Ut haec enodentur, probe distingui debent doctrina dicentis, ab ipsius persona, et voces quibus doctrina exprimitur. Sana, iudicatur, doctrina, si id quod significatur per verba, vel phrases, sanum habet intellectum, iuxta communem loquendi modum in Ecclesia usitatum; quod si pravum intellectum ingerant verba phrasium, prava censetur doctrina, quia haec, est illud quod significant verba. Iudicium Concilii de doctrina in se inspecta errori obnoxium esse non potest: irrefragabile etiam est in facto mere personali, ut quando damnat haereticum coram ac palam falsa dogmata propalantem, quia tunc illi evidenter constat de animo et intentione loquentis. Praesens controversia non est, nec de doctrina solitarié inspecta, nec de persona doctrinam proferentis; sed de doctrina ut prolata ab homine, vel scriptis expressa: Sit exemplum, ¿ An quinque propositiones excerptae ex Libro, qui *Augustinus* inscribitur, contineant haeresim in sensu quem praeseferunt in ipso Libro Iansenii?

53. Quamvis homines ad suam doctrinam explicandam,

et eam de sua mente in aliorum mentem transferendam utantur vocibus, phrasibus, formaque quadam dicendi: tamen probe distinguenda est mens illorum á doctrina: quia vel ex ignorantia, vel ex pravo consilio possunt perversas sententias celare sub orthodoxis locutionibus: et rursus convestire vocibus haereticis sententias orthodoxas: Et licet in isto casu cognosci possit doctrina, iudicarique an sit sana, et pia, prava, vel haeretica, vel impia; an vero sit orthodóxa, quia ad hoc sufficit attendere ad sonum vocum, phrasium, et formam dicendi, ut appareat illarum sensus per significationem earum iuxta communem, usitatum que loquendi modum; tamen per haec signa certum irreformabile que iudicium ferri non potest de mente doctrinam illam propalantis. Hoc probare conamur, vestigia cordatissimi, religiosissimi que Vincentii Contensonii praementes, hac conclusione.

54. Conciliorum generalium auctoritas in factis dogmaticis declarandis non est eadem, ac illa qua gaudet in Sanciendis Ecclesiae dogmatibus.

55. Probatur 1. haec propositio. Quamvis magna veneratione suscipienda sint Conciliorum generalium iudicia in declaratione factorum dogmaticorum; tamen illis nusquam promissit Christus praesto illis futurum in declaratione factorum dogmaticorum: policitationes enim Iesu Christi ea tantummodo respiciunt, in quibus per Scriptum, et non Scriptum Dei verbum constituenda est, et explananda, simulque proponenda salutaris doctrinae inibi contentae veritas, eliminandique errores huic oppositi: facta autem dogmatica nec sanam, nec haereticam doctrinam respiciunt, sed vagam privatorum hominum mentem, quae necessario connexa non est cum sensu, quem habent verba, et phrases iuxta communem usitatum que loquendi modum; et aliunde non unus idemque sensus subest plerumque, sed multiplex in verbis tum ex populorum institutione, tum ex usu Scriptorum metaphoris, aliis que tropis utentium, nec Concilia hoc impedire possunt: ergo in factis dogmaticis declarandis non gaudent Concilia &c.

56. Probatur 2. Conciliaria iudicia super facta dogmatica ad obiectum fidei non pertinent: quia ut aliquid fidei obiectum ingrediatur, necesse est, quod innotescat per verbum Dei scriptum, aut per Traditionem continuatam, quae ab Apostolis, et Patribus derivata, ad nos usque pervenerit, tum quod fides sit ex auditu, auditus autem per verbum: tum quod Ecclesiae non sint novae revelationes datae, sed vetera

duntaxat haec proponat, exponat que fidelibus, utpote fidelis crediti sibi depositi custos: Facta vero dogmatica de novo contingentia non innotescunt verbo Dei Scripto, vel de aure in aurem transmisso, ut per se evidens est: relinquitur ergo ad fidem non pertinere quemadmodum pertinent ad eum dogmata solitarié sumpta: adeoque auctoritas, qua in his sanciendis pollent Concilia, transferri nequit ad facta dogmatica. Hinc est, quod qui torrenti totius Ecclesiae se opponat sine causa, non statim violatae fidei reus censendus sit, sed temeritatis permagnae, gravissimi que scandali propter gravem contemptum disciplinaris legis in re maximi momenti. Quicumque igitur damnare recusaret Libros, et auctores solemniter damnatos, iste praeter crimen temeritatis, et scandali, á se depellere non posset perversae doctrinae suspisionem propter disciplinae contemptum, merito que ut talis damnari posset, mulctari que poenis ad haec crimina stabilitis.

57. Obj. 1. Si mens privatorum necessario connexa non est, cum verbis, phrasibus, forma que discendi, quia multiplex sensus sub illis latens in causa est, ut certo assequi possit, quem horum selegerit auctor: dicendum erit quod Concilia generalia non poterunt firma fide colligere Traditionem ex PP; nec assequi mentem Canonum et sensum Scripturarum in Versionibus, quippe quod sensus verborum mutabilis sit, et equivocus tum in Patribus, tum in Conciliis, tum in Scripturarum Versionibus.

58. R. Non esse ferendum idem iudicium de Concilio generali interpraetante sensus et verba privati cuiusque hominis, ut genuinam eius mentem assequatur, et illum damnet vel absolvat; ac de ipso Concilio interpretante verba, et sententias PP, sive Sacra verba Canonum, ut colligat Traditionem coelestium dogmatum, et Versiones Scripturarum comprobet, assequatur que illorum sensum. Ad hoc secundum eget infalibili Dei asistentia, sibi promissa, ut recte proponat veram fidei morum que doctrinam: hanc tamen proponere nequit nisi cognoscat; nec cognoscere, nisi illam colligat ex germana fidelique Patrum interpretatione, germana veraque intelligentia Canonum, Scripturae quae Sanctae ex comprobatis versionibus, depromptis ex monumentis Ecclesiasticis, adhibita debita diligentia. Cognitio vero mentis cuiusque hominis privati necessaria non est ad Sanam doctrinam fidei et morum adipiscendam, proponendam, et conservandam, quia ille veritates catholicae iam aliunde sancitae sunt, vel sanci.

ri debeat. Per normam etiam harum veritatum expendi debet sensus et doctrina libri cuiusque privati, sic que dogmata expendenda non sunt per sensum librorum, et multo minus per mentem auctoris, quae certe colligi non potest.

59. Obj. 2. Nostra doctrina stante, quilibet fidelis has horrendas consecutiones elicere poterit: Ecclesia congregata in Conciliis non gaudet infalibilitate dum declarat reiiciendam vel amplectendam esse doctrinam in sensu ab eius auctore intento, quod quidem factum dogmaticum est; non ergo fidem adhibere debeo illius iudicio: liberum mihi, et cuique alteri est verba, dicta, et libros proscriptos explicare: superfluae sunt eiusmodi Conciliorum iudicia, frustra que percutiuntur tot ictibus reluctantes; nec ius fuit Martino 5. in Synodo Constantiensi, ut Sessione ultima praeciperet, ut omnes profiterentur iure ac rite damnatas fuisse haereses Ioannis Hus, Wiclefi, et Hieronymi Pragensis, sed horum quoque personas libros, et documenta. Execrabilis igitur error est asserere Concilia infalibilia non esse dum iudicant de factis dogmaticis.

60. R. Falaces ac temerarias has consequtiones ortum ducere ex falso quodam principio, scilicet quod ad damnandas doctrinas cum facto connexas, earumque auctores sit necessaria infalibilitas in Concilio iudicante, et quod deficiente illa infalibilitate deficiat legitima potestas fideles ad iustam obedientiam cogendi ut corde et ore subiiciantur illius iussis, et secure in illis conquiescant. Falsum enim est ad proscribenda facta dogmatica requiri infalibilitatem in iudicando, quia sufficit potestas in alegatis et probatis innixa, quemadmodum ad crimina sceleratorum punienda necessaria non est infalibilitas in Principibus, et Senatis. Licet enim in casu nostrae Thesis ambigua et dubia appareant facta doctrinalia, quia certo non constat de mente auctoris, adhuc praestat fidem adhibere Concilio sententiam ferenti, quia repraesentat Ecclesiam universam in qua sunt iudices divinitus ad nos regendum constituti, quam indulgere infirmo nostro ingenio ne ob timorem incerti et minime periculosi erroris, in crimen certum temerariae, scandalosae que inobedientiae incurramus, nollentes obedire praepositis nostris in Concilio congregatis, legemque disciplinarem ferentes, ut non corrumpatur aut scindatur unitas doctrinae.

61. Obj. 3. cum Silentii obsequiosi auctore. Quamvis fidelis sit damnare doctrinam ab Ecclesia damnatam; tamen ex

hoc colligi non potest, quod in Ecclesia sit ius ad hoc, ut cogat fidelem ad credendum ea quae ipsa divinitus non cognoscit: mens autem auctoris damnati hoc modo non innotescit generali Concilio ex verbis vel phrasibus libri proscripti: ¿quomodo ergo de illa certiores nos facere potest, quando ipsummet non cognoscit? Sufficiet igitur obsequiosum silentium pro reverentia praestare, ne scindatur unitas, nec aliquid maius agere necessum est.

62. R. Magnum crimen esse, mandata universalis Ecclesiae ad internam eius disciplinam spectantia, et in generali Concilio lata, velle cavilis quibusdam ratiunculis elidere. Cum doctrinae christianae aeconomia postulet ut Pastores Ecclesiae concreditam sibi gregem salutari doctrina pascant, ovesque separent á pascuis quomodocumque pestiferis et venenatis: disciplinae ratio postulat, ut dum Ecclesia fert sententiam damnationis alicuius Scripti propter nocuam eius doctrinam fideles ore et corde subiiciantur in hoc iudicio prudentissimo adquiescentes. Nemo enim mentis compos, et in vera Theologia versatus ferre potest, nec sibi persuadere, quod liceat aliquid ore damnare, sed corde interea illud amplecti. Nullis ratiunculis excusari valet ista detestabilis linguae, et animi dissentio. Qui temére audeant, iustae huic disciplinari damnationi male sanae doctrinae cum facto connexae, adversari severitatem ipsius disciplinae experiantur aequum, et necessum est, usque dum ex animi sententia obtemperent in re tam magni momenti.

Observatio.

63. Licet ex revelatione divina notum fidelibus non sit, an Summus Pontifex, aut singuli Conciliorum Patres lexitimé electi sint, baptizati, et ab omni haeresi alieni, vel quod Singuli Parochi et Pastores á quibus doctrina coelestis traditur; tamen fidem divinam adiungere debent doctrinae ab illis propositae, statim ac moraliter certi sunt ipsos esse illorum lexitimos pastores quibus demandata est potestas illos regendi atque pascendi. Expleta hac conditione, á credendis dogmatibus abstinere impune non possunt. Cum Episcopi fusis praecibus, et ut suo officio satisfaciant, ex fontibus Scripturae, Traditionis, praxique ab ipsis Apostolicis ducta temporibus, colligunt doctrinam cum debita fide et diligentia, haec germana, coelique doctrina est; namque impleta con-

ditione humano more ponenda á Pastoribus, Christus sua implet promissa, ne á vero aberrent. Fides autem illa veritatibus definitis tributa divina est, quia divina nititur auctoritate. Quoties proscribitur quaedam doctrina in determinato quodam sensu, et auctor cui tribuitur palam profitetur mentem suam illo sensu esse compraehensam, in hoc casu error infalibiliter proscribitur, et auctor evidenter condemnatur. Sunt ergo hic duo iudicia probé discernenda, iudicium quidem doctrinae in se inspectae, quod fidei divinae est, in divina nixum auctoritate; et ipsius doctrinae cum referentia ad mentem auctoris per eius confessionem evidenter certoque exploratam: et cum hoc iudicium in auctoris humani confessione fundetur, nusquam ad fidem divinam assurgere potest. Si hoc ita est, cum apperte constat de mente auctoris, ¿quid ergo dicendum cum haec declaratio non habetur, ex qua unice firmum certumque naturale iudicium de eius ferri potest intentione? Sensus igitur doctrinae ab intentione et mente auctoris pendens, in factis doctrinalibus, non est idem ac sensus doctrinae solitarié sumptae, nec eadem Conciliorum generalium auctoritas super utrumque.

64. Synodus Constantinopolitana 2. collat. 8. inquit: „ Licet Spiritus-Sancti gratia circa singulos Apostolos abundaret; ut non indigerent alieno consilio ad ea, quae agenda daret: non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes circuncidi, definire, priusquam communiter congregati Divinarum Scripturarum Testimoniis unusquisque dicta sua confirmarent....In communibus disceptationibus cum proponuntur, quae ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, quum unusquisque proximi adiutorio indigeat....Ipse Dominus dicit: Si duo ex vobis convenerint super terram de omni re, quaecumque petierint, contiget illis á Patre meo, qui in coelis est. Ubicumque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sunt in medio ipsorum.”

65. Quum Theologi et Iuris Canonici Doctores ex iisdem fere fontibus suas disputationes instituant, mirum non est, quod per plura saecula nulla fuerit Theologorum et Canonistarum distinctio, ut scité post Van-Espenium docet Selvagius. Utrique de rebus sacris, de iure, et officio personarum, de Disciplinâ et ratione vivendi agere se profitentur, haec que definiunt, et explicant ex Sacris litteris, ex Traditione, Patrum auctoritate, atque ex Conciliorum et Pontificum decretis: hodie tamen professione divisi, mutuum sibi adiumentum conferunt. In illis enim rebus, quae ad fidem, et mores pertinent Iurisperitus á Theologo expositionem mutuabitur, quia Theologorum propria sunt quaecunque de fide, et moribus in Sacris litteris, et Traditionibus continentur, vel de iis per certam connectionem conficiuntur. Nullus enim de haereseos crimine in causis fidei damnatur, priusquam Theologi definierint haeresim esse, quod in iudicium venit.

66. Quantum autem ius Canonicum Theologis conferat ex eo patet, quod huius fines facultatis, quae Thaeologia quaedam practica est, in id tendunt, ut animae in salutem dirigantur aeternam per illas leges Canonicas, quae nedum utiles, sed etiam maxime necesariae sunt tam in cura directioneque animarum in paenitentiae foro, quam in regendis disponendis que Ecclesiis, et rebus Ecclesiasticis. Hoc ipso quidem, quod Theologi animarum magistri sunt, eas docere debent leges divinas et Ecclesiasticas: et licet in Scriptura, et Traditione sacra, praecepta vivendi maiori ex parte contineantur, tamen doctrina morum specialis secundum gradus singulos, et ordines officiorum Ecclesiae, haberi non potest sine iuris Ecclesiastici cognitione, ubi sunt determinationes loci, temporis, et modi, quibus ius divinum praescribitur observandum. ¿Quomodo ergo Theologi, iuris canonici peritia destituti, plurimos conscientiae casus, ad crimina irregularitatis, suspensionis, interdicti, excomunicationis &c. decernere poterunt, ac poenitentias iniungere? Ea igitur modestia praediti esse debent Theologi, ut in his aliisque bene multis in iure Canonico peritos consulant circa faciliores ius divinum excequendi rationes, et ritus, quibus agitur, ne divinando, et de sensu proprio respondentes in gravissimos incidant errores.

67. Minime ergo dubitandum est de arcta Theologiae cum iure Canonico adfinitate, quae tanta quidem est, ut nisi altera cum altera facultate coniungatur, mutuum que sibi lumen praestent, fieri non possint magnae in alterutra progressiones.

68. Ius *Canonicum* ita appellatur á graeca voce *Kanon*, quae latiné *regulam* denotat, continet que regulas ab Ecclesia propositas ad Christiani populi actiones dirigendas in ordine ad felicitatem aeternam. Dicitur etiam ius *Sacrum*, ius *Ecclesiasticum*, quod Sacra Ecclesiae potestate sit latum: *Pontificium* etiam, quia ex parte á Pontificibus sit constitutum ad rectum Christianae reipublicae regimen. Descibi autem potest in hunc modum: Ius Canonicum est regularum complexio ab Episcopis, et praecipué á Romano Pontifice nomine Ecclesiae Catholicae, vel tradita, vel constituta, vel approbata, qua diriguntur actiones, et mores Christianorum ad divinum cultum, ordinemque politicum in statu Ecclesiastico, ad pacem, et iustitiam in populo Dei conservandam, adipiscendumque finem supernaturalem aeternae beatitudinis.

69. Canonica quidem disciplina qua erudimur ad veram iustitiam, tota tendit ad Dei amorem, nec iudicia causarum, quae sunt exercitium et usus ipsius iustitiae ad scopum dirigi debent alium, nisi ad unum divini amoris. Utinam in omnium Iudicum, Ecclesiasticorum praecipué, auribus insonent haec aurea Regis Iosaphati monita 2. Paralipomenon, 19: » Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, » sed Domini. Et quodcumque iudicaveritis in vos redunda» vit. Sit timor Domini vobiscum, et cum diligentia cuncta » facite: Non est enim apud Dominum Deum nostrum ini» quitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum."

70. Iurisprudentia Canonica duplici utitur iure, scripto scilicet, et non scripto. *Scriptum* ius, praeter Sacra utriusque Testamenti volumina continet Conciliorum Ecclesiae Canones, Constitutiones Romanorum Pontificum canonibus respondentes, huiusmodi etiam Episcoporum Sanctiones per diversa loca, et Sanctorum Patrum ac Doctorum Sententias, Non *Scriptum* ius Traditione continetur. Per Traditionem intelligimus doctrinam scriptis non mandatam. *Consuetudo* est praxis consensu tacito, soloque usu recepta, quâ primordiis Ecclesiae Christianorum societas regebatur: haec diu solicité conservata, ut pote honesta et rationabilis, vim legis obtinuit. S. Basilius Epistola ad Amphilochium cap. 1. agens de poenis Canonicis docet consuetudinem aliquando ipsis Cano-

nibus praeferendam per haec verba: *utrumque, igitur, scire nos oportet, et ius scriptum, et Consuetudinem, et iis insistere, quae non amplectantur rigorem Traditionum.* Et rectè quidem: nam licet *regula fidei sit immobilis, et irreformabilis,* ut ait Tertulianus, non tamen disciplinae, quae ob diversas Temporum, locorum, et personarum circunstantias mutationi sunt obnoxiae.

71. Constitutionum Ecclesiasticarum septem numerantur Species, Canon scilicet, Dogma, Decretum, Decretalis epistola, Mandatum, Interdictum, Sanctio. *Canon* est constitutio in Concilio edita. Hae constitutiones, si bene inspiciantur, non sunt nisi conclusiones ex Evangelio, et aliis Libris Canonicis elicitae per illos de quibus ait Christus, *qui vos audit, me audit &c. Dogma*, constitutio est de re ad fidem pertinente. *Decretum* est constitutio Pontificis de Cardinalium consensu edita nullius interveniente consultatione. *Decretalis Epistola*, illa est in qua Papa, sive solus, sive de Cardinalium consilio ad alicuius consultationem respondet. *Mandatum*, est eorum ordinatio, quae ad disciplinam ecclesiasticam pertinent á superiore ecclesiastico facta. *Interdictum*; est quod tendit ad malorum correctionem. *Sanctio*, poena est ad futurorum cautelam lata. Quamvis haec ita sint proprie loquendo, auctores tamen solent has voces promisque usurpare.

72. Et si maxime studentium commodo, atque utilitati consultum sit per Sacrorum Canonum collectiones in unum ex innumeris voluminibus, quibus Conciliorum acta, Patrum Sententiae, et Pontificum Decreta continentur; fatendum tamen est per incertitudinis campos vagari quotquot Canonum Codices ante Gratianum editi fuerunt, nec aliquem produci posse, qui totius Ecclesiae auctoritate probatus indubiam in omnibus fidem facere posit. Vetustae Graecorum collectiones, ut *Codex Canonum Ecclesiae universalis* dictus, et á Iustelo in sua Bibliotheca Iuris Canonici editus, *Collectio Theodoriti Cyrensis, Ioannis Antiocheni Nomocanon Graecorum*: Photii Patriarchae Constantinopolitani collectio ex canonibus simul, et imperatoriis sanctionibus composita, ideo etiam appellata Nomocanon, veluti illa Ioannis Antiocheni cognomento Scholastici, et Ceterae obscurioris nominis collectorum graecorum iam erant deformatae tempore Gratiani Graecorum Schismaticorum perfidia, ut docet clarissimus Berardi.

73. Ad Vetustas Canonum collectiones latinas devenientes duas veluti clases reperimus; aliae sunt, quae pecu-

liarum Ecclesiarum nomine laudantur, ut *prisca canonum editio Latina*, quam mutilam Iustellus edidit in sua Bibliotheca Iuris Ecclesiastici, et Codex *Canonum Ecclesiasticorum*, *et Constitutionum Sanctae Sedis Apostolicae*, quam vulgavit Paschasius Quesnellius, imo et *Codex Ecclesiae Africanae*, á Iustello evulgatus tom. 1. suae Bibliothechae Iuriscanonici veteris, qui proprié aliud non est, quam acta Concilii Africani anni 419, cui praefuit Augustinus: opuscula etiam Ferrandi Diaconi, et Cresconii Episcopi Africani, quae licet 6. et 7. saeculo prodierint sub nomine collectionis Canonum, hoc nomen haud merentur, quia nihil aliud sunt, quam index quidam statutorum Ecclesiae Africanae. Sunt etiam aliae collectiones privato quorumdam studio elucubratae, quasque fama celebrat latina, ut collectio Dionisii Exigui Saeculo 5. Martini Bracarensis saeculo 6. Isidori Mercatoris, seu Peccatoris Saeculo 8. Reginonis Prumiensis Saeculo 10. Burchardii Wormansiensis initio Saeculi 11. et Ivonis Carnotensis sub 11. Saeculi finem.

74. Priusquam ad Concordantiam discordantium Canonum Gratiani Monachi accedamus, opere pretium est aliquid tangere de Apostolorum Canone, de Constitutionibus Apostolicis, ac de Epistolis decretalibus Veterum Romanorum Pontificum usque ad Siricium. Vulgaris, et trita hodie Eruditorum Sententia est omnes generatim 85. Canones, qui Apostolorum nomine circunferuntur, nec ab Apostolis esse Conditos, neque á clemente Apostolorum discipulo, promulgatos. Nemo enim ex iis, qui ante Saeculum Ecclesiae 5. scripserunt Apostolicorum Canonum mentionem fecit, imo statim hac in publicam lucem quinto saeculo producti fuerunt, suborta fuit apud viros gravissimos falsitatis firma suspicio, quemadmodum testatur Dionysius Exiguus in sua praefatione. Praeterea, si Canones illi Apostolicum fuissent opus, christiani veteres, in Apostolicis Scripturis servandis sollicití, praecipua ratione, ac diligentia hos custodiissent Canones, ut foetus apostolicos, ecclesia que Africana, quae adversus Romanorum sententias novo baptismate abluevat baptizatos ab haereticis, oposuisset Estephano Pontifici 46. canonem, quo repudiatur baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum in celebri controversia cum Sancto Cypriano.

75. Missa facimus cetera in hanc rem argumenta producta á Sebastiano Berardi, et Natali Alexandro, quibus evincunt Apociiphos esse omnes Apostolis tributos: Interim, cum

illis animatvertimus, hosce Canones antiquissimam habere originem, maxima ex parte fuisse probatos apud Graecos, et quaecumque sit illorum auctoritas, plurimum valere ad veteris disciplinae monumenta dignoscenda.

76. Constitutiones Apostolorum nomine inscriptas, quas Octo libris comprehensas é graeco in latinum sermonem transtullit Carolus Bzovius, et in lucem emissit anno 1563, apocriphas esse, et suppositas ipsis Apostolis, et S. Clementi Romano, placet magnis in Antiquitate Ecclesiastica versatissimis Viris, ut Baronio, Belarmino, Perronio, Albaspineo, et Christiano Lupo. Iuvat Cardinalis Bellarmini proferre iudicium in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis Libro, ubi haec habet. „De „ Libris *apostolicarum constitutionum*, quae Clementi auctori „ tribuuntur idem fere iudicium proferri debet, ac de Libris „ recognitionum. Multa enim in illis utilia sunt, et á Grae- „ cis veteribus magnifiunt; sed in ecclesia latina nullum „ fere nomen habent, et ipsi etiam posteriores graeci in Trul- „ lano canone 2. improbant has constitutiones, ut ab hae- „ reticis depravatas."

77. Hodie tritissima est Eruditorum sententia veterum Pontificum Romanorum, ad Siricium usque, epistolas Decretales supposititias esse, et vix inveniri, qui Isidori Mercatoris fabulas sequatur: Illud tamen cum Natali Alexandro, et Gravesonio animadvertendum computandas non esse inter apocryfas Pontificum illorum epistolas, quae á Sanctis Patribus et veteribus historicis laudantur, ut Iulii 1. Liberii, Damasci ad Hiliricos, nec de his sermonem esse, sed de illis, quas ex Mercatoris collectione transtulerunt in suas editiones Conciliorum editores.

78. Tempore Leonis 4. anno scilicet 847. Decretales epistolae veterum Pontificum, Siricii praedecessorum, non extábant in Codice, quo utebatur Ecclesia Romana, summusque iste Pontifex in epistola, qua respondet ad Brittaniae Episcopos, agens de regulis, quibus Ecclesia tunc temporis in omnibus iudiciis utebatur, ait: „*illás esse* Apostolorum, Ni- „ caenorum, Ancyranorum, Neocaesariensium, Africanorum, „ et cum illis Praesulum Romanorum Silvestri, Siricii, In- „ nocentii, Zosimi, Celestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Sim- „ machi, Simplicii, et Gregorii iunioris. Isti sunt omnes per „ quos iudicant Episcopi simul, et Clerici iudicantur." Habetur haec epistola in cap. de Libellis Canone 1, distinct. 1. et apud Sirmondum tom. 3. Concilior. Galliae.

79. Riculphum Episcopum Moguntinum, vel Benedictum Levitam, vel alium quemdam Germano Francum epistolas illas, aut confinxisse, aut ab aliis confictas collegisse, verisimilius existimat eruditissimus Selvagius, id que, ex eo praecipué, evincit, quod ex Ecclesiae Moguntinae Scriniis, et quidem Riculfi cura primum prodierint exeunte Saeculo 8. et ex quo, etiam, passim occurrant in illis Gallo-Francorum, et Longobardorum idiotismi. E Germania in Galliam illatae, prius admissae, et receptae fuerunt; postea vero, versus finem Saeculi 9. tempore Nicolai 1. illas respuere non dubitarunt Gallicani Praesules in causa Rodulphi Episcopi, quia non reperiebantur in antiquis collectionibus. Hae tamen exceptiones tanti non fuerunt, quin sensim per totum occidentem in ius evaderent. In Concilio Remensi, anno 995. ubi Arnulphi Archiepiscopi causa tractata fuit, ipsi Gallicani Antistites illarum auctoritatem agnoverunt. Hispania omnium tenacissima in avitis custodiendis moribus, amplexa fuit Isidori collectionem postquam illam excepit Ecclesia Romana, nec fuit orbis catholici pars, ubi fideles communiter ea usi non fuissent usque ad 14. saeculum, quo primum detegi coepit illarum suppositio.

80. Ex quo vero ille Decretales epistolae apocriphae sint, illarumque impostura gravissimis argumentis firmetur á Cardinalibus Cusano, Baronio, et Bona, ab Antonio Augustino, utroque Pagio, Antonio Contio, Clarissimo Bertio, aliisque viris eruditis, concludendum non est, illas esse doctrinae apostolicae adversantes: Licet enim multa in illis sint, quae ab antiquitate abhorreant, nihil tamen, quod fidem, vel mores laedat, reperitur. Haereticorum mendatium est has suppostitias epistolas fidei adversari: Sic que Sessione 8. Constantiensis Concilii damnata fuit 38. Wiclefi propositio his concepta terminis: » *Decretales* epistolae sunt apocriphae: se» ducunt á Christi fide: et clerici sunt stulti, qui *student* eis.» Pars huius prior falsa est propter universalitatem: altera est haeretica: Tertia Scandalosa, inquit cl. Bertius. (Lib. 20. Cap. 18.)

81. His in antecesum praeiactis, deveniamus iam ad Gratiani collectionem. Hanc adornavit Monachus iste Benedictini Ordinis anno 1151. sub inscriptione *Concordantia discordantium Canonum*, quaeque deinde *Decretum* dici coepit. Collectiones complectitur Dionisii Exigui, Isidori Mercatoris, Ivonis, et Burchardi, locupletatas novis Constitutionibus Pontificum,

Canonibus Conciliorum, Sententiis Patrum, Legibus Civilibus Romanorum, et Ecclesiasticae historiae gestis. Opus hoc, quod non plus habet auctoritatis, quam fontes ex quibus dessumpti sunt Canones, mendis quam pluribus purgatum est privato studio á tribus Antoniis Demochare, Contio, et Augustino, et iussu Pii IV. Pii V. et Gregorii 13. Romanorum Pontificum á pluribus viris doctis ad hoc selectis. Hanc susceperunt emmendationem duo Pithaei, Van Espenius, et Carolus Sebastianus Berardi, qui eam ad suum perduxit finem. In tribus praecipué peccavit Gratianus, nempe in falsis inscriptionibus, in corruptis sententiis, et in explicationibus parum aptis, suis que auctoribus contrariis, ut docemur á Berardi, cuius opus in Gratiani Canones diurna, nocturnaque versari debet manu ad cognitionem illustrationemque Decreti.

82. Collectio haec Gratianea, quae summo plausu recepta fuit, quia fere ad subtilem disputandi methodum 12. saeculi erat satis composita, in tres partes divissa est: quarum 1. quae de *Personis Ecclesiasticis* agit, partita est in 101. distinctiones: 2. quae de *Iudiciis Ecclesiasticis* inscribitur, continet 36. Causas: Harum Singulae dividuntur in quaestiones, et quaelibet quaestio in Capita. Questio vero 30. causae 33. qua tractatur de *Poenitentia*, in Septem distinctiones subdivissa est. Pars 3. quae de *rebus sacris* inscribitur, titulum de *Consecratione* in quinque distinctiones exhibet. Ad Calcem Decreti in quibusdam editionibus, reperiuntur *Canones poenitentiales* dicti Hos diligentissime collegit S. Carolus Borromeus in sua Confessariorum instructione, quae omnino videri, memoriaeque mandari meretur.

83. Praeter Gratiani Decretum, Corpus hodiernum iuris Canonici, *quinque* continet *Libros Decretalium*, quae Gregorii 9. dicuntur, quia ex eius iussu Sanctus Raymundus Penafort Barcinonensis in unum collegit volumen Canones in postremis Conciliis generalibus editos, ac Decreta Summorum Pontificum, praecipue Alexandri 3. Innocentii 3. et Honorii 3. Hi quinque Libri, variis titulis inscripti, multa continent capita. In 1. Libro de *Personis Ecclesiasticis* agitur: in 2. de *Iudiciis*: in 3. de *Clericis*, et *rebus Ecclesiasticis*: in 4. de *Sponsalibus* et *Matrimonio Laycorum*: in 5. denique de *Criminibus*, *eorumque poenis*. Hanc Decretalium collectionem anno 1230. editam confirmavit Gregorius 9. Illarum ordo

servatur in Sexto, Clementinis, et Extravagantibus, quae corpus iuris etiam ingrediuntur.

84. *Sextus*, quinque Libros continet, quibus subiectae sunt 88. iuris regulae. Appellatur Sextus Decretalium collectio auctoritate Bonifacii 8. adornata tamquam supplementum collectionis Gregorianae, continet que praeter Decretales Pontificum succesorum Gregorii 9. Canones utriusque Lugdunensis generalis Concilii. Libri *Clementinarum* quinque continent Clementis V. Constitutiones in Concilio Viennensi editas, et á Ioanne 22. promulgatas anno 1317. Reliquae Decretales, quae extra corpus iuris erant, et quae deinceps ei sunt adiectae, appellantur *Extravagantes*: Partim harum dicuntur *particulares*, constitutiones scilicet Ioannis 22. partim *Communes*, hoc est plurium Pontificum Romanorum Constitutiones in quinque Libris distributae.

85. Non est, quod plura dicamus de Bullario magno multis voluminibus constante, et ubi colliguntur Bullae, Brevia, pluraque alia: Sufficiat has voces declarare: Bullae sunt Romanorum Pontificum Ordinationes, sive concessiones in rebus gravioribus, praeseferunt que SS. Apostolor. Petri et Pauli effigiem in plumbeo, vel aureo sigillo, pendet que exfuniculo, aut serico, aut cannavis. *Breve Apostolicum*, scriptura brevis est, quae in minoris momenti negotiis conceditur, munita sigillo sub *annulo piscatoris*, et Secretarii subscriptione. *Signaturae Apostolicae* dicuntur dispositiones Apostolicae papyro conscriptae absque sigillo, exprimique, ut plurimum solent his verbis: *Fiat ut petitur*.

86. Ne autem in primo tantum iuris Canonici limine consistere velimus, praeter institutiones iuris Ecclesiastici Claudi Fleuri, adeamus Oratorianum Ioannem Cabássutium in Theoria, et praxi iuris Canonici, qui ampliorem exhibet notitiam. Utilissimi sunt Ioannis Douiatii Praenotionum Canonicarum Libri: Sed nihil in hoc genere praeclarius, lectione studioque magis dignum, quam Ius Ecclesiasticum universum Van-Espenii, quem Benedictus 14. nusquam sine laude commemorat. Benedictus Obrehauser Van Espenium in Epitomen redegit quam commodissimam. Lectu, studioque digni etiam sunt Iulius Laurentius Selvagius in suis Tribus Institutionum Libris, quas Disciplinae, Legibus, et Consuetudinibus nostrae hispaniae accommodatas habemus in novissima Matritensi editione anni 1784, et Cl. Cavallarius. Utinam semper in memoriam revocemus aurea haec Concilii Toletani 4. verba Canone 25: *Sciant*

Sacerdotes Scripturas Sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in doctrina, et in praedicatione consistat, atque aedeficent cunctos, tam fidei Scientia, quam operum disciplina.

De Iure Civili.

87. Nemo vel parum in iure versatus ignorat, quam difficulter ius civile á iure Ecclesiastico, praesertim recentiore separari queat, inquit celeberrimus Lovaniensis Van-Espennius: Igitur quamvis ius civile nihil fere aliud sit, quam iuris ipsius naturalis ad certam civitatem, vel regnum applicatio, atque adeo ad rationis naturalis provintiam proprie pertineat; tamen hoc impedimento non est, ut etiam post brevem Iuris canonici notitiam, quae sine legis Civilis scientia comparari haud valet, pauca de hoc iure adiiciamus. Iuris quidem civilis studium Theologo utilissimum esse, vel ex eo solo patet, quod cum scientia canonum adeo coniuncta et colligata sit cum legum peritia, ut altera vix possit ab altera separari, si Theologo necessaria est iuris canonici scientia, sane etiam iuris humani cum illo connexi.

88. In Civili iure continentur multa ad bene formandos populorum mores accommodata, et ad rectam agendorum disciplinam constituendam, quae ubi singularia deficiunt Ecclesiastici iuris praecepta, oportunum fuit apud Ecclesiam recipi. Ex hoc factum, ut Sacrorum statuta Canonum, Principum constitutionibus adiuventur, hasque illae vicissim adiuvent, mira relucente concordia Sacerdotii, et Imperii. Si haeretici terreni imperii leges in suum adiutorium sumant, probandus est Theologus, qui legum civilium auctoritate fulcitur adversus haereticos, ut recte disserat de rerum temporalium dispositione, aut de moribus in republica constitutis, vel constituendis, quomodo fecit saepe Augustinus contra Donatistas.

89. Quo se vertet Theologus, cuius munus est animarum periculis cavere, saluti que consulere earum, si nesciat quae á viris clarissimis dicta sunt de iure in pactis, stipulationibus, coeterisque contractibus, in rerum dominio, praescriptione, testamentis, donationibus, testibus, iudicibus, de successione, in bona clericorum intestatorum: Si poenitens,

de iustitia, vel in iustitia consulat in his, aliis que quam pluribus, ¿ Quomodo se geret cum Poenitente, qui exponat se habere litem super hac vel illa re, nescire que an liti cedere debeat, an potius illam valeat iusté prosequi ? Cum casus occurrant innumeri, qui sine legis civilis cognitione definiri nequeunt, nihil erit consultius, quam iuris provintiam prudenter peragrare illas leges perlustrando, quae Christiani populi usu, et more observatae diu sunt. Diu enim Volumina legum pervolvere, non theologorum, sed iurisprudentiam profitentium est proprium.

90. Nihil est tam compendiarium ac tritum, quam Iurisperitos interrogare ubi se obtulerit ocasio: interim ius *civile peculiare* regni, vel nationis suae, et ius *civile commune*, quod etiam Romanum dicitur discere opus est. In collectione Legum Septem Partitarum, et Novissimae Recopilationis sunt leges nostrorum Regum Catholicorum, quibus et fides Catholica, et civilis societas inter hispaniarum Regnicolas conservatur. Licet in nostris legibus hispanis aliqua immutata sint, quae ad interius regni regimen, officia, particulares usus, et Hispanorum mores concernunt; tamen quoad praecipua Iuris communis capita, uti sunt successiones, contractus, delicta, tutelae, servitutes, usucapiones, et alia, fere nihil mutatum invenitur nec iuri Romano contrarium, et inde oritur necessitas studii collectionis etiam Romani iuris, quia in hac parte confirmata est á legibus Hispanis, sic que magnae auctoritatis est.

91. Ius Civile Romanum in collectione continetur legum Romanarum edita á Iustiniano Imperatore, qui mortem obivit anno 566 Collectio haec in quatuor part s distributa est. In parte, prima, quae *quatuor Institutionum Iustiniani libros* continet, sunt prima rudimenta iuris civilis communis. Magno erit adiumento ad has perdiscendas opus posthumum Iosephi Maymi Iureconsulti hispani, cui titulus romani, et hispani Iuris institutiones ad usum scholae et fori: Elementa etiam iuris Civilis Heineccii.

92. In 2. parte sunt 50. libri Digestorum seu Pandectarum cum suis Glosis in tribus voluminibus contenti, quorum primum *Digestum vetus* nuncupatur, secundum *Infortiati* nomine dignoscitur; et tertium denique *Digestum novum*. In 3 parte *Codex repetitae praelectionis* invenitur 12 libris comprehensus, quorum leges allegantur sic: L. *Siquis* 5. Cod. de *Episcopis* et Clericis. Pandectae et Digesta designantur

per duplex ff, vel per liter. D. *In* 4. demum parte continentur *Authenticae* seu *Novellae constitutiones* á Iustiniano latae, et promulgatae.

93. Quum non oporteat Theologum diutius in iuris Civilis studio torqueri, nec integrum iuris corpus attingere, sat illi erit percurrere Institutiones, quas propossitas reliquimus Heineccii, et Iosephi Maymó, quibus adiungenda erit Cardinalis Delucae compilatio illa iuris, quae *Doctor Vulgaris* inscribitur. Incumbamus ergo in id studium, in quo, et utiles Reipublicae, et Ecclesiae emolumento esse possimus: hoc que uberrimo, satis compensatos esse fructu, existimemus.

De Theologia Scholastica.

94. Scholastica Theologia, sic dicta propter methodum, qua in Scholis pertracta fuit á Theologis á Saeculo 12. huc usque, ea est in qua omnes theologicae cognitiones ad unum corpus collectae, traduntur eo ordine, qui ad disciplinas addiscendas est aptissimus. Dialectico, siquidem more, terminos exponit, definitiones, ac divisiones statuit: aperit, figitque quaestionis statum: proponit praecipua fundamenta ex propriis sedibus theologicis, obiecta que diluit: in hoc que geometrarum methodum imitatur. In hanc disserendi methodum contumeliosis verbis et dicteriis debaccantur Omnes Novatores: eoque dementiae devenerunt Witembergenses haeretici, ut anno 1520. Scholasticorum libros feretro impositos Sacras defunctorum celebrantes Vigilias magna ministrorum, populique frequentia ad mediam deferrent urbem, ac in ardentem rogum proiicerent, quemadmodum refert Surius in Appendice ad Naucleri Chronicon.

95. Scholam tamen vituperare propter ea vitia, quae non sunt ipsius methodi, sed contentionis quorundam adscriptitiorum theologorum, qui in schola universas quaestiones theologicas invalidis ratiunculis, ex proprio marte desumptis, pertractarunt, insanientis est. Si face historiae saecula perlustremus, illico compertum erit, quod haereticorum novandi prurigo tot adhibuit versutias, tot cavilationes excogitavit, ut vix praeliari potuerit, nisi scholastico more, arma, ex propriis fontibus dessumpta, tractentur, reiecto illo arti-

ficioso disserendi genere, quo rethoricae legibus versati, fucum faciunt incautis. Ne ergo Thaologus iis irretiatur laqueis, et suo muneri faciat satis, sive adversus incredulos arguar, sive sophismata detegat fidem impugnantium, sive respondeat congrue de veritate, quam profitetur; sumat arma seu fundamenta ex Theologia positiva: his armis instructus, dogmata statuere conetur; et modum peritiamque arma illa tractandi mutuetur ab scholastica methodo, nec historiam, humaniores litteras, aliaque adiumenta deserat.

96. Haec ita se habere facile cognoscet, quicumque pervolvere voluerit Maldonatum, Melchiorem Canum, Iueninum, Du-Hamelium, Contensonum, Guillelmum Estium, Silvium, Tournelyum, Bertium, aliosque, qui multum profecisse fatentur ex Sanctis Doctoribus Thoma, et Bonaventura scholasticae Theologiae proceribus. Infelici temporum illorum conditione coacti, non valuerunt uno ictu ineptos illius aetatis disputatores ad bonam frugem revocare; sic que licet nimis multas inutiles tunc agitatas controversias resecassent, diligenter que alias vitare studuissent, fas tamen esse prudenti consilio duxerunt plurimum illis concedere, ne in casum laborarent.

97. Duplex error declinandus est in scholasticorum auctoritate aestimanda; primus est plurimorum, qui tantum illis tribuunt, ut vel aliquorum in eamdem rem consensus, sufficiat ad conciliandam cuililibet opinioni probabilitatem, ad tute agendum: alter eorum, qui theologiam scholasticam insectantur, ut inutilem et perniciosam. Ne cum his legitimam, et debitam illis laudem denegemus; aut cum illis auctoritatem falsam tribuamus, illud seligamus medium quod veritate nixum, ipsam tuetur. Perquam utilem esse dicimus hanc methodum, qua in unum corpus coniungitur quidquid sparsum est in Scripturis, Patribus, Conciliis, aliisque monumentis, deposita dissentionis amaritudine, et fraternae charitatis suavitate servata, styloque non rudi et impolito, sed exculto, et gravi, quantumque patiatur rerum conditio.

98. Addimus etiam, periculosissimum esse refragari, in re ad fidem vel mores pertinente, sententiae unanimi omnium cuiusque aetatis Scholasticorum: ratio est quia post illos, Sanctos Doctores per quos ad posteros transmissa est Apostolica doctrina, soli fere Scholastici fidei dogmata, et morum doctrinam tractaverunt, gliscente Pastorum incuria, et ignorantia, ut tradit Fleurius: adeoque plusquam

probabile est, magni roboris esse hanc consentionem, quam Ecclesia nusquam explosit, taciteque approbavit: *nan error cui nom resistitur, approbatur.* Sic plerumque, ut haeresis signum habetur, separari ab unanimi Scholasticorum sensu. Qui ab hoc separari ausus est, non dubitavit Sanctorum veterum, totiusque Ecclesiae auctoritatem reiicere, uti declarant Wiclefi, et Luteri exempla, inquit Denina Cap. 1. L. 2. de Norma fidei.

99. Si ergo Scholasticorum auctoritas in eo sita est, quod Veterum doctrinam ad nos transmisserint, relinquitur nobis licere ab unanimi eorum Sententia recedere, ubi haec nulla veteri traditione muniatur. Nulla censura inuritur, ex hac ratione, quorundam Theologorum sententia, qui, contra unanimem Scholasticorum mentem, putant Presbyterorum et Diaconorum consecrationem consistere in manus impositione, non autem in traditione calicis, patinae, aut Libri Evangeliorum. Nec Scholasticos favet quod eorum sententiam amplexus fuerit Eugenius 4 in Decreto unionis ad calcem Florentinae Synodus, namque mens Pontificis solum fuit adducere Armenos ad usum praximque Latinorum; non definere rem ex qua sequeretur irritas esse ordinationes Graecorum, qui absque instrumentorum porrectione, et sola manuum impositione, ac oratione illos conferunt ordines.

100. Qua censura suggilandi sint, qui ab unanimi Scholasticorum sententia recedunt, non est una omnium mens. Quidam, enim, cum clarissimo Cano tenent, quod licet haeresis non sit refragari constanti Scholae dogmati, est tamen haeresi proximum: Alii esse, erroneum: alii denique temerarium esse contendunt. Nullius utilitatis esse in praxi, quidam dicunt, hanc quaestionem in hac aetate, in qua vix reperietur dogma in quod Scholastici consentiant, quod iam non sit ab Ecclesia definitum. In illis autem Scholae placitis, in quibus pauci numero, sed insignes, adversantur pluribus qui ad Scripturae et Patrum normam unanimiter sentire profitentur, tanti aestimanda est horum auctoritas, quanti valeant rationes, quibus fulciuntur.

101. Libri 4. Sententiarum Petri Lombardi, auctoris Parisiensis, licet abstrusiores, et obscuriores sint, cuilibet praesertim novitio, digni sunt lectione, quadam tamen cautela adhibita; nam praeter quam multis inanibus scatet quaestionibus, ad immodicam aetatis suae disputandi libidinem accommodatis, sunt etiam in illis periculosae, novae que dicendi

formulae á Theologis tunc temporis, et á Summo Pontifice Alexandro 3. notatae. Nullus etiam rerum tractandarum ordo reperitur, sed confusa quaedam rerum congeries, in quam etiam inciderunt quodquod illum secuti sunt. *Praeter distinctionum vocabula, in quas Libri illi divisi sunt, nihil distinctum fere videas, recteque, et ordine distributum*, ait Melchior Canus (L. 12. cap. 3.)... Nec *Magistrum ego volo fraudare suo veteri nomine, magnum utique, ut aetate illa, virum, et quem iure coluerint posteri....in cuius quidem quatuor Libris multa quidem lectio Sanctorum apparet, et pro tempore illo haud mediocris eruditio.* Magistri lectionem adiuvavit illustrabit que Guillelmus Estius.

102. Doctrinale iudicium quarundam Facultatum, ut Lovaniensis, vel Academiarum, vel Magistrorum, quo reiiciuntur, aut approbantur certae propositiones, eo maioris momenti erit, quo maioris ponderis sint rationes iudicii lati á viris sapientia, eruditione que sua commendatis.

De ratione naturali.

103. Christianus Theologus, qui non in Sapientiae humanae praestantia, sed in simplicitate cordis, et Crucis humilitate gloriari debet, ad tuendam fidei doctrinam eget rationis rectae subsidio, ut naturalistarum impietatem refellat, et propriis eorum evertat armis, quemadmodum fecerunt Sancti Ecclesiae Patres et Doctores adversus Ethnicorum errores. Primam sedem quidem in re Theologica revelatio tenet; sed cum ratio homini á Deo data sit, ut eam excolat, et veritatem sibi comparet; sunt, certé, suae partes rationi certis quibusdam finibus circunscriptae. Rationis nomen, quod varias sortitur significationes, (namque per illud exprimi solet supputatio, institutum, consuetudo, modus, causa, atque etiam argumentum, consilium, et mens) hic usurpamus pro ea facultate qua ideas perceptas multis modis inter se conferimus, ut ex earum facta comparatione, relationes earumdem deducamus. Haec facultas *recta* appellatur, cum praecepta, quae ad mentem instituendam regendamque prescribuntur, observat in omni cognitionum genere: *prava* dicitur *ratio*, quae illis praeceptis non adstringitur, sic que vera Logica est destituta.

104. Quum rationis obiectum sit veritas, et finis eius consecutio, et ad hanc saepius perveniri non possit nisi demonstrationis instrumento, et concatenata idearum mediarum serie, maxime interest has ideas medias recte disponere, ut verae illarum relationes appareant, et vis convincendi eluceat in Syllogismorum serie ordinata, quae ipsa demonstratio est. Ne, igitur, recta ratio alienas occupet partes, nec temere, ubi locum habere debet, extrudatur, constituendi sunt eius fines in doctrina fidei, et morum. Triplex est genus earum rerum quae in Theologia traduntur. Quaedam enim sunt, quae sola ratione naturali perspiciuntur, cum attenti sunt oculi: aliae, quas fides docet, et ratio confirmat: aliae denique, quae omnem rationis vim exuperant.

105. Ad primum genus pertinent quaestiones illae de Dei existentia providentia, divinisque attributis. In his, perutilis necessariusque est rationis usus, et hoc remoto, ipsa religionis fundamenta corruerent, nec illius veritas adversus infideles demostrari posset. Ne autem in errores gravissimos incidamus, ea cautio adhibenda, ne nimium rationi tribuamus, quia quae de his per rationem innotescunt, ideas obscuras, confusas, et inadaequatas suppeditant. Luminibus verae Logicae, germanae Physicae, rectae que Metaphysicae instituti discimus per contingentiam rerum quae nos circunstant, earumque motum, universum hoc esse factum á summa quadam causa potentissima et perfectissima, quae in se rationem suae gerat existentiae. Discimus etiam nihil esse, quod huius summae causae providentia et ratione non regatur; sic que, nihil faciendum adversus illius voluntatem: nihil moliendum adversus universi ordinem, et praecipue vitae, et societatis hominum: discimus, tandem, huic beneficentissimae excelentissimae causae tribui debere á creatura rationali amorem, obsequium, servitutem, et praeces, quae nomine religionis veniunt.

106. Secundi generis veritates sunt, quae quamvis satis demonstrari nequeant humanae rationis lumine, sunt tamen cum ipsius notionibus consentaneae, ut quae de *inferorum suppliciis*, *superorumque praemiis* docemur, aliaque huiusmodi. Theologus de his pertractans recte adiunget dictata rationis ad Scripturarum, et Traditionis testimonia, multaque et praeclara proferet in hoc genere testimonia ex Libris veterum philosophorum, veluti Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Sene-

cae, &c: quae cum christianorum dogmatibus sunt congruentia. Ne veró illud Senecae nobis applicari possit, *necessaria ignoramus, quiá superflua discimus*, non multum temporis, in his pervolvendis, insumamus.

107. Tertium, denique, genus praeclara religionis mysteria complectitur, quae nec perspicacissimis hominum ingeniis patere possunt sine speciali Dei revelatione. Frustra in controversia dogmatica demostrare niteremur hoc, aut illud itá esse oportere. Aperte docendum est revera illud ita esse á Christo, et ab Apostolis traditum, Ecclesiaeque concreditum. Vis omnis humanae rationis in dogmatum tractatione in eo posita est, ut legitima testimonia segreget ab spuriis, Scripturae sensum explanet, Patrumque examinet sententias. In Trinitatis Mysterio, Incarnationis, in doctrina divinae Gratiae, et Sacramentorum, aliisque huius clasis fateamur necesse est, in Dei inmensitate, atque omnipotentia esse aliquid, quod humanae mentis vires assequi nequeant. Dum certó constat rem aliquam esse revelatam, ratio etiam invita divinae auctoritati subiici debet, negligere, et repudiare quid quid ipsi videatur dissolvi non posse. Hi sunt rationis fines in rebus fidei.

108. Quibus autem limitibus circunscribatur ratio in Theologia morum exponamus. Varia sunt praeceptorum genera, quae Moralis Theologia complectitur: quaedam enim sunt iuris naturalis, quaedam Civilis, quaedam Christiani, et Ecclesiastici. Quae praecepta hominem attingunt, ut est homo, et civis, sive, quatenus pertinet ad societatem totius generis humani, vel ad quamdam rempublicam, praecipue derivanda sunt ex Ethicae, et Iuris naturalis fontibus per usum rationis excultae, luminibusque revelationis adiutae, ut promptius, facilius, brevi tempore, et sine periculo erroris agnoscat homo quid Deo, quid sibi, quid aliis debeat. Quae homini praecipiuntur ut Asseclae Christi, et Ecclesiae membro, pendent ab auctoritate, id est á doctrina Christi, et Ecclesiae, repetenda que sunt ex locis ex quibus religionis Christianae doctrina eruitur: non nulla tamen in his sunt ad christianam vivendi rationem pertinentia, quae á ratione ducuntur.

109. Universa doctrina morum, quae naturalem honestatem, et socialis vitae normam demonstrat, et praecipit, quatuor virtutibus, tamquam cardine, vertitur. Quamquam multa sint in veteri Testamento de *prudentia*, de *iustitia*, de *fortitudine*, et *temperantia* constituta, et per Evangelii

verbum confirmata, et perfecta; tamen hoc disciplinae genus habet in ratione naturali fundamentum, et ex hac á Theologis expetitur regula ad omnes hominum conditiones, et ad singulas actiones dirigendas, ubi deficiant aperta Scripturae verba, Ecclesiae decreta, Sanctorumque praecepta Patrum. Quaecumque vero ad Theologicas virtutes, *fidei*, *spei*, *et charitatis* pertinent; quaecumque praescribuntur ad Sacramenta administranda, et suscipienda, ad cultum, vel observantiam dierum festorum &c. Haec alia que huius generis non ex placitis rationis imbecilis, aut Philosophorum, sed ex antiquitate Ecclesiastica derivanda sunt, edisci que ex Sacris litteris, Conciliis, Pontificum Decretis, et ex dictis, factisque Sanctorum veterum, secernendo ea quae sunt stricti praecepti ab his, quae consilii tantum vim habent.

110. Ne longiores iusto simus, praemonere Theologos duximus, quod licet argumenta ex ratione recta deprompta eis inserviant, quia lumen fidei cum naturae lumine non pugnat, caveant tamen ab illis quaestionibus mere philosophicis, et futilibus, quae non fovent veritatis viam, sed praecludunt cum temporis iactura, et absque ulla necessitate. Magna cautione perlegendos esse Philosophorum Libros, non est quod moneamus: *plurimum interest Athenam inter, et Hierosolimam, Academiam, et Ecclesiam* aiebat Tertullianus: Ex prudenti vero usu argumentorum philosophicorum utilitatem capi, satis demonstratur exemplo Patrum, et Doctorum Ecclesiae, qui philosophica studia non fuerunt dedignati. Nulli sectae addictus, quod melius est, eligat Theologus.

111. Huc usque dicta quibusdam canonibus comprehendamus. 1. Magnum praestant Theologo argumentum generalia, et communia naturalis rationis principia, qualia sunt, *quod tibi fieri non vis alteri ne feceris*: *Bonum est faciendum, et malum fugiendum*; et his similia. 2. Conclusiones, quae alia via, quam per demonstrationem, colliguntur, lineam non excedunt probabilitatis. 3. Philosophorum auctoritas, consensusque universalis rem veram, non tamen de fide facit in rebus Theologicis. 4. Philosophorum auctoritas exitiosa ést, et condemnabilis, si cum Scriptura, Conciliis, Patribus &c. pugnet. 5. Quae ex communi Philosophorum consensu contra ipsos Philosophos desumuntur ad fidei dogmata comprobanda, certiora fiunt, ut si ex illorum sententia probetur Dei exi-

stentia, immaterialitas, simplicitas, spiritualitas, immortalitas, et libertas animae rationalis.

De Historia, et aliis adiumentis.

112. Non ad inanem, futilemque iactationem, nec conterendi otii causa historia est ediscenda; sed ad Scripturarum dilucidationem, ad religionis veritatem confirmandam, ad cognoscendos informandosque hominum mores, ad eorum vitam instituendam, et denique ad instaurandam, tuendamque Ecclesiasticam disciplinam. Historia, enim, quae res gestas posteritati mandat, Theologo maxime necessaria est, quia nullus fere fons Theologiae est, quod absque historiae subsidio dignosci possit. Profana historia, cum Sacra veteris et novi testamenti, nimis connexa est. Iudaici populi res gestae cum rebus Assiriorum, Persarum et Macedonum adeo colligantur, ut qui haec ignorent, conciliare non possint cum eventu Prophetarum vaticinia. Ad novi etiam Testamenti, et Ecclesiasticae historiae elucidationem facit plurimum Imperii Romani notitia ab Augusti Ævo, et deinceps. Antiquissimos Ecclesiae Patres in Evangelii explicationem fuisse allucinatos propter ignorantiam romanae historiae, monet August. 2. de Doctrina Christiana cap. 28.

113. Historia, quae pene emortua fuerat Saeculo 8. et reviviscere coepit post 15. exculta fuit saeculis proximis á pluribus viris praestantissimis, quibus Magnus Baronius in suis annalibus viam monstravit, materiam subiecit, et formam operis praescripsit. Hi quidem ad historiam Ecclesiasticam illustrandam ingenium, operam, studiumque omne contulerunt, adiuti linguarum peritia, geographiae, et chronologiae studio: his duobus historiae oculis, et cum critices subsidio, antiquitatis notitia reperitur cum rerum discrimine, magno que selectu in Antonio Godeau, Fleurio, Orsio, Gravesonio, et Bertio. Breviarium huius per quam Commodissimum est.

114. Quamvis humana historia errori et falsitati sit obnoxia, quia nemo eorum, qui sine Divini Spiritus afflatu res gestas referunt, ab errandi et fallendi periculo est immunis: multa tamen sunt in universa historia ita firma et certa, quae si velimus ad dubium revocare nihil aliud faciemus, quam fidem,

humanam de medio tollere: qua sublata nec ulla erit religio, nec ulla subsistet humana societas. Parvum fortasse videri posset hanc, aut illam rem olim gestam fuisse negare, quamvis id omnium saeculorum historia, omnium hominum memoria confirmet; sed hac licentia permissa, pari deinde ratione negari posset S. Petrum Romam venisse, Romanae que Ecclesiae praefuisse: Concilium Episcoporum Nicaeae coactum quondam fuisse á quo ariana haeresis fuerit damnata: Dici etiam posset libros, qui Sanctorum Patrum nomine leguntur, illorum non esse: Acta SS. Martirum haud esse vera: Ecclesiasticas historias magna cura et labore á viris eruditione conspicuis non esse scriptas. Haec aliaque humanae historiae, et universalis hominum traditionis fundamento nituntur: quo detracto, et excuso, nec sacrarum litterarum auctoritas firma consistet, nec Christi fides retinebitur. Insanus profecto sit, qui negare auderet plurima esse in humana historia, fixa, certa, et explorata.

115. Quae autem habenda sit regula in historiarum lectione, ne temere aut inconsiderate reiiciamus, quae certa esse debent; aut dubia, vel falsa pro veris habeamus, nunc breviter constituendum est, licet plura á criticis praecipiantur ad illam diiudicandi facultatem comparandam. In rebus historicis, et sunt *res* que narrantur, et *Scriptores*, qui narrant. Res, sive factum possibile, et sensibile sit oportet. Si á Deo, vel á causis naturalibus fieri potest, possibile dicitur: Sensibile autem erit si sensibus subiaceat, et eos pellat, fiatque in loco patenti. Ex parte Scriptoris requiritur, quod sufficienter factum cognoverit, et ad illud scribendum motus vi veritatis fuerit, et non ex cupiditatibus, nec ex praeiudicatis opinionibus. Argumenta quibus haec suaderi possunt observata ab historico, desumuntur ex facti narratione, facti circunstantiis, aut ex aliorum coaevorum scriptis, quia fieri potest, ut unicus Historicus, narrationis certitudini, sufficiat, quod nusquam evenire potest in uno teste.

116. Historia ergo certam veritatem ingenerans debet esse multiplex, concors, enarratis contemporanea, traditioni et monumentis consentiens. *Multiplex* erit si plures historici idem narrent, qui eo diligentius errorem vitant, et fortius mendacium refugiunt, quo palam scribunt ad coaevos. *Concors* dicitur, si eadem sit facti substantia in quolibet, licet rem non eodem referant modo. Haec concordia non tollitur ex silentio aliquorum: namque non est idem *tacere*, ac *negare*, quia

silentium ab oscitantia, vel ab alia causa esse potest. Argumentum negativum ducitur non ex silentio aliquorum, sed ex quo omnes coaevi sileant, id quod posteri narrant. Vim non habet negans argumentum, si res aliunde nota fuerit, reddique possit ratio huius silentii universalis. Veterum silentium non adimit fidem plurium ad Christianam religionem, et eius Sacra pertinentium, quia prudens apud ipsos *arcani disciplina* vigebat.

117. Synchronos seu *contemporaneos* esse historicos necessarium est, ut rem notam habuisse constet. Consentire debere cum traditione, et monumentis, diximus, ne his eorum fides evertatur. Impossibile quidem est, alicuius aetatis historicos, quorum cupiditates maxime inter se pugnant, deceptos fuisse in factis sensibilibus et publicis, vel omnes in eodem consensisse mendatio, quin hoc neque traditione nec monumentis fieret manifestum. Coaevi omnes cum historicis convenire ostendunt, adversus illos non reclamando. Nullus ergo error, nullum mendacium suspicari potest, si historiae multae sint, concordes, contemporanaeae, traditioni, et monumentis consentientes.

118. Pars historiae Ecclesiasticae *dogmatica* nuncupatur, pars *disciplinaris*, pars *externam Eccclesiae politiam* complectitur. *Dogmaticae* officium est, ea describere, quae credenda sunt, quaeve doctrinae creditu necessariae de saeculo in saeculum floruerint: quae veterum dubia fuerint definita aevo recentiori: quae fuerint suae ambiguitati relicta: quae, denique, opiniones adiaphorae. *Disciplinaris* pars indagat quae agenda sunt in qualibet praxi publica, docens modum primaevum, medium, et novissimum: Sic, sermonem de cultu Sacrarum imaginum instituens, indicat eius ortum, incrementa, et fata. Per disciplinam scimus, quis olim fuerit Eucharistiam sumendi modus: et quod laici sub una, vel sub duplici specie sumpserint eam, ac saeculum quo modus hodiernus coeperit. Quae *externam politiam et regimen* Ecclesiae tradit, tota occupatur in rituum, in festorum, in ieiuniorum indagatione: Ordinum religiosorum originem, abusuum etiam, eorumque medelam per Canones, examinat. &c.

119. Absque dogmatica solide assequi non possunt credenda; quae per illam brevi methodo discuntur. Qui sententiam suam ex Tridentino probare vult, recte id non faciet, nisi Concilii historiam cognoscens, probe calleat deliberationes, disputationes, et sessiones super illam rem habitas. Si haec ignoret, non sensum verum illorum Patrum, sed cere-

brinas eius imaginationes pro ratione venditabit: erit divinator, non Theologus: multaque pro definitis dabit, quae definita non sunt. Veritates dogmaticas, disciplinares, et externae politiae Ecclesiae difficilé deprehendi poterunt absque Criticae subsidio.

120. Ars Critica est illa, quae nullo partium studio, nullo animi praeiudicio, nulla calumniandi cupiditate, sed veritatis aperiendae causa, et rei litterariae fovendae, sobrié, et consideraté de aliorum Scriptis iudicare facit, et conatur cesernere vera, et certa, á falsis et dubiis. Bonae igitur, laudabilisque criticae, duplex est munus; namque, aut id agit criticus, ut vera, et legitima scripta et monumenta ab spuriis suppositiciisque secernat; aut sumit honesti censoris animum in expendendis quibuslibet aliorum libris, et lucubrationibus, et pronuntiat quid in illis sit verum, bonum, pulchrum, utile, laudabile; quid pravum, falsum, ineptum, inane, indecorum, improbandum. Theologus hoc critices adiumento carere nullatenus potest, nihilque proficiet nisi mature assueverit rerum omnium discrimen habere, virtutesque et vitia Scriptorum distinguere.

121. Ars critica, quae verae Logicae pars est, sistit genuinos textus cum propria vocabulorum significatione. Singulari nomine *diplomaticae artis* insignitur, cum instrumentorum veterum authenticam examinat ex inscriptione, die, litterarum forma, sigillo, dissonantia, vel consonantia cum universali et particulari historia. In hac diplomatica palmam tullit Mabilonius. Ut auctoritatem historici textus ponderet criticus, in bono lumine colocat, an Scriptor fuerit coaevus, aut proprior aevo rei gestae. ¿Fuerit ne testis oculatus, vel auritus? loco propinquus, aut remotus? An nulli partium addictus, nullis deditus cupiditatibus amoris, odii, vindictae, maledicentiae &. ¿Prudens ne fuerit, an circunspectus? An plus aequo credulus, aut superstitiosus? Solus ne hoc asserat, an contestes habeat? Quibus stili dotibus splendeat? Acrimoniae, vel libertati calami sit deditus; an vero placido, serenó que vultu omnia circunspiciat? Nihil enim intentatum relinquit, ut suo muneri faciat satis.

122. Ex defectu moderationis ingeniorum, in artem criticam, magnos irrepsisse abusus, candide fatendum est: Cum vero hoc vitium per omnes vagetur artes, criticae proprium non est, nec propter hoc ars critica negligenda, immo potius nimis commendanda venit laudabilis illa, quam nuper de-

scripsimus. Animus sana critica informatus, et humanitatum studio expolitus, linguarumque notitia (*), latinae praecipue instructus, plurimum auctoritatis sibi conciliabit in dicendo, et iudicando: familiariterque aget cum Baronio, Pallavicino, Bosueto, Huesio, Petavio, aliisque compluribus, qui sacram, et ecclesiasticam doctrinam pertractantes, cum Divinis humanas litteras coniunxerunt. Cane peius et angue est intemperans illa critica, qua quidam ex sceptico pruritu, levissimisque coniecturis adiuti, evertere audent veritatum quarundam historicarum, et librorum quietam posessionem ab omni retro aetate habitam.

123. Ne fraudemur illius dulcedinis sensu, qui ex dicendo capitur, quique omnes labores, aut levat, aut compensat, acriores que facit ad persequendum: omnia temporis intervala, quae possimus ad legendum, discendumque conferamus. Huic oblectationi, et peculiari utilitati, adiungitur etiam, in divino Theologiae studio, motivum illius proprium, quod religionis amore et caritate ducti, oporteat nos, absque pravo languore, nimium excolere illam, ut solicite consulentes fratrum nostrorum saluti, illos in quantum nobis datum est, quod est certe minimum, adiuvemus.

(*) *Al presente el Obispo, el Sacerdote que no tenga conocimiento de varias lenguas, de la antiguedad sagrada y profana, de los varios sentimientos de los Filósofos antiguos y modernos; finalmente del origen, y progreso de los pensamientos humanos, mal podría defender la Religion Católica de los tiros de los Hereges: y al cristianismo de las sutilezas, y cabilaciones de los Atéos, Libertinos, y Naturalistas. El Padre Scio en la nota de la página 87. de los seis libros de San Juan Chrysóstomo sobre el Sacerdócio traducidos en lengua vulgar, ilustrados con notas críticas, y corregidos por él mismo en su segunda impresion de 1776. en Madrid imprenta de Pedro Marin.*

SUPERIORIS ECCLESIASTICI VENIA.

Callistus de Aguilar Typographus.

GRAVIORA MENDA TYPOGRAPHICA.

Pág.	Lin.	Errata.	Corrige.
4.	27.	facitunt	faciunt
ib.	ib.	tradi ione	traditione
6.	43.	Christu	Christus in
8.	8.	laedit	laedit semper
15.	35.	aretissimo	arctissimo
18.	3.	1817.	1317.
21.	31.	una vana	vana
22.	16.	is	his
25.	31.	Dominium	Dominum
28.	9.	pulsarae	pulsare
35.	40.	clariatem	claritatem
75.	22.	summam	summa
93.	13.	proesentia	praesentia
98.	15.	insinua ionem	insinuationem
107.	29.	pura	puré
112.	29.	consernantur	conservantur
117.	10.	simillima	et simillima
128.	7.	quatemus	quatenus
142.	21.	eadem	eamdem
145.	8.	certitudo	certitudine
ib.	38.	eum	cum
161.	5.	portulabat	postulabat
171.	2.	diocaesana	dioecesana
175.	23.	Conciliis	in conciliis
176.	42.	us ad	ius ad
179.	39.	antiquitates	antiquitatis
185.	18.	it nii	sit nisi
193.	24.	daret	erant
206.	2.	nan	nam

per duplex ff, vel per liter. D. *In* 4. demum parte continentur *Authenticae* seu *Novellae constitutiones* á Iustiniano latae, et promulgatae.

93. Quum non oporteat Theologum diutius in iuris Civilis studio torqueri; nec integrum iuris corpus attingere, sat illi erit percurrere Institutiones, quas propossitas reliquimus Heineccii, et Iosephi Maymó, quibus adiungenda erit Cardinalis Delucae compilatio illa iuris, quae *Doctor Vulgaris* inscribitur. Incumbamus ergo in id studium, in quo, et utiles Reipublicae, et Ecclesiae emolumento esse possimus: hoc que uberrimo, satis compensatos esse fructu, existimemus.

De Theologia Scholastica.

94. Scholastica Theologia, sic dicta propter methodum, qua in Scholis pertracta fuit á Theologis á Saeculo 12 huc usque, ea est in qua omnes theologicae cognitiones ad unum corpus collectae, traduntur eo ordine, qui ad disciplinas addiscendas est aptissimus. Dialectico, siquidem more, terminos exponit, definitiones, ac divisiones statuit: aperit, figitque quaestionis statum: proponit praecipua fundamenta ex propriis sedibus theologicis, obiecta que diluit: in hoc que geometrarum methodum imitatur. In hanc disserendi methodum contumeliosis verbis et dicteriis debaccantur Omnes Novatores: ecque dementiae devenerunt Witembergenses haeretici, ut anno 1520. Scholasticorum libros feretro impositos Sacras defunctorum celebrantes Vigilias magna ministrorum, populique frequentia ad mediam deferrent urbem, ac in ardentem rogum proiicerent, quemadmodum refert Surius in Appendice ad Naucleri Chronicon.

95. Scholam tamen vituperare propter ea vitia, quae non sunt ipsius methodi, sed contentionis quorundam adscriptitiorum theologorum, qui in schola universas quaestiones theologicas invalidis ratiunculis, ex proprio marte desumptis, pertractarunt, insanientis est. Si face historiae saecula perlustremus, illico compertum erit, quod haereticorum novandi prurigo tot adhibuit versutias, tot cavilationes excogitavit, ut vix praeliari potuerit, nisi scholastico more, arma, ex propriis fontibus dessumpta, tractentur, reiecto illo arti-*pliciis, superorumque praemiis* docemur, aliaque huiusmodi. Theologus de his pertractans recte adiunget dictata rationis demonstrari nequeant humanae rationis lumine, sunt tamen